


Del medesimo autore:

De Grammaticae hebraicae ratione emendanda — Romae 1902, it. l. 0.50.

Il Salmo CIII — Lezione esegetica — Livorno 1904, it. l. 0.75.

Di prossima pubblicazione:

De S. Scripturae versionibus.



Prezzo del presente: lire **DUE.**

Dirigersi al Can.° Marco Belli in *Portogruaro* (Prov. di Venezia).




Can. doct. Marcus Belli



Brevis antiquitatum Judaicarum notitia.





Ex Officina Typ. Patronatus
Utini 1906.

Can. doct. MARCUS BELLI



BREVIS ANTIQUITATUM IUDAICARUM NOTITIA



UTINI
EX OFFICINA TYP. PATRONATUS
1906.

NOB. VIRO

ALOYSIO TINTI

S. TH. DOCT.

CAP. CATH. CONCORDIEN.

DECANO

DELEG. EPISCOP.

MAGISTRO MEO OPTIMO



LECTORI.

Haec biblicae archaeologiae elementa, ad scholarum usum accommodata, ex probatis scriptoribus, tum veteribus, tum recentioribus, excerpsi, quorum testimonia, praeter Scripturae Sanctae, quod omnibus iudaicae antiquitatis studiósis potissimum caput est, suis locis proferuntur.

Ne quis tamen libellum hunc veluti operis nimium in angustum coacti crimine premat, aperte dicam, me animo id semper cogitasse, ut tironibus, qui nostra dioecesana Seminaria frequentant — ubi pro temporum ac locorum condicione Sacris Litteris, uti et ceteris theologicis doctrinis, cuique vacandum est — non vero iis, qui, studiorum causa, in litterarum sedibus versantur, non *multa,* sed *multum,* paucis perstrictum, idque facili eaque expedita ratione discendum proponerem. Pro certo enim habeo fore ut viva praeceptoris voce vel latiorum commentariorum ope, si quae huic disputationi desint, commode acquiri queant. Restat ideo ut laborem meum doctores, ni corona donent, saltem aequo animo accipiant.

Scrib. in Portu Romatino Kal. Dec. anni MCMVI.

Can. doct. MARCUS BELLI
SS. Litterarum professor.

Operis divisio.

Hoc opus, quo complectimur praecipuas antiquitatum iudaicarum notiones, tres in partes dividimus. Etenim antiqua illa, memoria digna, vel ad rem domesticam, vel ad publicam id est politicam, vel ad ecclesiasticam id est sacram referuntur. Ideo triplex erit divisio: in antiquitates *domesticas, politicas* et *sacras*. Iuvabit tamen, in primis, missis quae tironi satis nota sunt, pauca animadvertere, tum de quibusdam regionibus Palaestinae finitimis, quarum nomina apud hagiographos passim scripta legimus, tum de ipsius Palaestinae topographica descriptione et rebus a populo Hebraeo gestis. « Quomodo Graecorum historias magis intelligunt — ad rem scribit S. Hieronymus in epistola ad Domnionem et Rogatianum — qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucatem et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigaverint: ita Sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit cum eruditissimis viris hunc laborem subire; ut circumiremus provinciam, quam universae Christi ecclesiae sonant. »

ANNOTATIO.

Fontes antiquitatum iudaicarum praeter Libros Sanctos, sunt: scripta Philonis Iudaei et Iosephi Flavii, qui Apostolis coaevi fuere; scriptores antiqui

graeci et latini (Herodotus, Strabo, Ptolomaeus, Dio Cassius, Plinius, Tacitus), qui nonnumquam res orientales memorant; Thalmud Hierosolymitana et Babylonica; scriptores ecclesiastici, uti Hieronymus et Ephraem Syrus, qui in regionibus orientalibus vixerunt.

Hic iuvat animadvertere omnium ad rem praestantissimum esse recens opus M. Vigouroux, cui titulus: *Dictionnaire de la Bible* etc. Letouzey et Ané, Paris.

De geographia biblica, ut veteres mittamus, hisce postremis temporibus egerunt: Iohnston, Vogt, Oort, Fischer, Lenzinger, Baedeker, Palaestina Exploration Fund, Deutscher Palaestina Verein, Kiepert, Maspero. Scholis commendanda: *Riess — Hist. geogr. Bibelatlas,* Freiburg, 1906; *Fillion — Atlas géographique de la Bible — Atlas archéologique de la Bible — Atlas d'histoire naturelle de la Bible* (Lyon, 1890, 1886, 1884); *A. Grammatica — Testo Atlante di geografia sacra,* Bergamo, Istit. d'arti grafiche 1902; *H. Zschokke Historia Sacra antiqui Test.,* Vindobonae, 1903.



Introductio geographica



Introductio geographica.

A) REGIONES PALAESTINAE FINITIMAE.

a) Aramaea.

Aramaea (ארם) regio est vastissima, quae a Tauro monte ad Damascum et Babyloniam, et a mari Mediterraneo ad Assyriam usque pertinet. Complectitur: α) *Aram beth Rechob,* id est *Assyriam* strictiore significatione, cuius metropolis fuit *Ninive* a Nabopalassare, anno 625 a. Ch. n., eversa; β) *Aram Naharaim,* id est *Mesopotamiam;* γ) *Aram* sine epitheto, id est *Syriam,* quae constabat ex regno Damasceno, Maacha, Tob, Hamath et Geschur. Huius regionis urbes celeberrimae fuere: Heliopolis, Palmyra, Aleppo et Antiochia.

b) Phoenice.

Phoenice, graece Φοινίκη *(palmis abundans),* regio parva est, at commerciis et artibus floridissima, ad littora Mediterranei maris sita. Principes eius urbes fuere *Sidon* et *Tyrus,* quarum altera, saec. VIII et VII a. Ch. n., a Sargon et a Nebucadnezare diuturna obsidione pressa atque vastata, postremo ab Alexandro Magno (322 a. Ch. n.) eversa est. Permultas colonias in Euphratis regiones, in Ciliciam, in Syriam, in Persici sinus insulas et in oras Mediterranei maris Phoenices deduxerunt.

c) Media.

Media ad occasum Assyria et Armenia, ad septemtrionem mari Caspio, ad orientem Hyrcania et Parthia, ad meridiem Persia continetur. Metropolis eius *Ecbatana.*

d) Persia, Susiana, Elymais.

Persia regio est, quae a Media ad mare Persicum pertinet, atque *Susianam,* cuius metropolis *Susan* fuit, et *Elymaidem* comprehendit. *Elymais,* interdum, latiore significatione, pro Persia accipitur.

e) Babylonia, Chaldaea.

Babylonia a Babylone metropoli nomen habet. Latiore significatione, ad septemtrionem, Armeniae, at, strictiore significatione, ad septemtrionem, Mesopotamiae, ad occasum, Arabiae Desertae, et ad austrum, sinui Persico contermina erat. Pars australis, quia, ab Assyriae regibus, quibusdam tribubus Chaldaeis concessa, *Chaldaea* audit.

f) Arabia.

Cum *Arabiam* Palaestini regionem orientalem, Babylonii, e converso, *occidentalem* appellarent, factum est ut Arabes modo *orientales,* modo *occidentales* dicerentur. Divisio in *Arabiam Felicem* et *Desertam,* a Megasthene et Ptolemaeo inducta, in Bibliis non servatur. Ea *Arabiae* pars, quae, ad occasum, Aegyptum et mare Mediterraneum spectat, *Arabia Petraea* dicitur.

g) Aegyptus.

Aegyptus (מצרים) ad orientem Arabia Petraea et sinu Arabico, ad meridiem Aethiopia seu Nubia,

ad occidentem desertis Africae seu Libyae, et ad septemtrionem mari Mediterraneo continetur.

Tres in partes dividitur: α) pars *superior (meridionalis)*, quae *Thebais* (Θηβαΐς) appellatur, cuius metropolis *Thebae* seu *Diospolis Magna*; β) pars *media* seu *Heptanomis* (id est septem provinciis constans), cuius metropolis *Memphis*; γ) pars *inferior (septemtrionalis) Delta*, cuius metropolis *Alexandria*, ab Alexandro Magno condita, in littore Mediterranei maris, portu insignis est.

Flumen *Nilus*, quod olim septem ostiis, nunc autem duobus tantum, in mare Mediterraneum influit, regionem in duas partes secat, certisque anni temporibus vallem aquis inundat ac limo fertilem efficit.

ANNOTATIO.

« Il Nilo è il maggior fiume dell' Africa; esce dal lago Vittoria, raccoglie tutti i fiumi dei bacini del *Nilo sinistro*, e, sotto il nome di *Nilo Bianco*, attraversa l' immensa regione da Vadelai sino a Chartum, ove riceve il *Nilo Azzurro*. Percorre, irrigandoli, la Nubia e l' Egitto. Sotto il Cairo, si divide in due rami: quello di Rosetta e quello di Damietta, formando il Delta egiziano, e sbocca nel Mediterraneo. Il suo corso è il più lungo di tutti i fiumi. Cresce regolarmente ogni anno dal 20 Giugno fino ai primi di Ottobre; poi dai primi di Ottobre decresce (6,480 chil. con un bacino di 3,000,000 di chil. q.) ». *Melzi* — Dizion. compl. etc. pag. 535.

Terra *Goschen* (גֹּשֶׁן), in Vulgata *Gessen*, regio pascuis uberrima, ad orientem in Arabiam Petraeam spectat; quare ab alexandrino interprete (Gen. 45,10) Γεσὲμ Ἀραβίας appellatur.

Torrens Aegypti, in finibus Palaestinae et Aegypti, ad Rhinocoluram, hieme, in mare Mediterraneum influit.

ANNOTATIO.

Recensitis regionibus et populis Palaestinae finitimis adde: regnum *Basan*, e regione maris Galileae et Iordanis superioris, cum urbibus *Astaroth* et *Bosra; Ammonitas* (ab Ammon, Lot filio) ad orientem Iordanis usque ad torrentem Iaboc; *Moabitas* (a Moab, Lot filio) ad orientem Iordanis et maris Mortui usque ad torrentem Arnon; *Ismaëlitas* (ab Ismaël, filio Abrahae et Agar) in Arabia Deserta et *Madianitas;* ad austrum: *Idumaeos* seu *Edomitas* (ab Edom seu Esau, fratre Iacobi), qui cum *Amalecitis* vagabantur per Arabiam Petraeam usque ad montem Sinai inter mare Rubrum et sinum Aelaniticum situm.

B) PALAESTINAE TOPOGRAPHICA DESCRIPTIO.

a) Palaestinae facies, situs, limites.

Palaestina, quae regio montuosa est, passim vallibus intermissa, in Asia, inter gradum latitudinis borealis 31-33 1/2 et longitudinis orientalis 32-34, iacet. Finitima est Phoenicae ad septemtrionem, Arabiae Desertae ad orientem, Arabiae Petraeae et Aegypto ad meridiem, mari Mediterraneo ad occasum. Huius regionis limites, Davide et Salomone regnantibus, ab Aegypto ad Euphraten usque prolati, post exsilium multum arctati fuerunt (*S. Hier. Praef, in Paralip.).*

b) Nomina.

Palaestinae nomina fuere: *Terra Chanaan*, *Terra Hebraeorum*, *Terra Israël*, *Iudaea*, *Palaestina*, *Terra promissionis*, *Terra sancta*. Paucis singula absolvamus:

α) *Terra Chanaan* (כנען) a posteris Chanaan filii Cham;

β) *Terra Hebraeorum* (ארץ העברים) ab Abrahami *hebraei* posteris, vel a *transitu* (עבר = *transivit*) Abrahae a Chaldaea in Terram Chanaan;

γ) *Terra Israël* (ארץ ישראל) ab Israëlis seu Jacobi posteris. Verbum ישראל sonat *praevaluit Deo*; quod intellige de luctatione descripta in Gen. 32. 28;

δ) *Judaea*. Hoc nomen sortita est *tribus Iudae* cum reliquiis tribus Beniamin, quae una, post schisma decem tribuum, in Roboami fide mansit.

ε) *Palaestina* (פלשתיים) a Philistaeis, qui, interdum, in Vulgata, *Palaestini* vocantur;

ζ) *Terra promissionis*, quia Abrahae posteris a Deo promissa;

η) *Terra sancta*, cum Deus sibi eam elegerit atque Christus ipse sua gloriosa passione ac morte sanctificaverit.

c) Incolae.

Olim, in censu davidico, 1,300,000 hominum ad arma ferenda apti professi sunt; ex quo rerum scriptores coniiciunt, Davidis temporibus, universos Palaestinae incolas 6,000,000 vel 7,000,000 fuisse. Nunc 300,000 hominum numerantur.

ANNOTATIO.

Antiquissimi Palaestinae incolae, *Chananaei* appellati, dividebantur in septem populos, qui erant; *Iebusaei, Amorrhaei, Chananaei* (strictiore significatione), *Hevaei, Gergesaei, Pherezaei*. His adde: *Philistaeos, Sidonios, Cinaeos et Cenezaeos*, qui postremi in regione Basan habitabant.

d) **Caeli status, ubertas, calamitates.**

Caeli status generatim benignus ac saluber, pro locorum diversitate varius, magis tamen sibi constans, quam in nostris regionibus calidior est. Anni tempora ita ab Hebraeis distinguebantur: α) tempus *messis,* a dimidio Aprili ad dimidium Junium; β) tempus *fructuum,* a dimidio Junio ad dimidium Augustum; γ) tempus *caloris* sive *aestus,* a dimidio Augusto ad dimidium Octobrem; δ) tempus *sementis,* a dimidio Octobri ad dimidium Decembrem; ε) tempus *hiemis,* a dimidio Decembri ad dimidium Februarium; ζ) tempus *frigoris,* a dimidio Februario ad dimidium Aprilem.

Mensibus Aprili et Maio, imbres *serotini* terram hominesque recreant; mensibus Junio, Julio et Augusto, nulla nubecula in caelo semper sereno conspicitur, at, nocte, abunde rorat.

Inde a dimidio Octobri pluit. Mensibus Decembri et Januario, frigus ingruit interdum gelidum. Mensibus Februario et Martio aura tepescit, tempestas cum magno fragore tonitribusque frequenter cooritur, segetes revirescunt, arbores foliis et campi floribus vestiuntur.

Agri Palaestinensis ubertatem, a Moyse laudibus celebratam, omnium veterum scriptorum testimonia aperte confirmant. Quamquam vero Palaestina, olim ab Assyriis, Chaldaeis, Syris, Romanis, postremo Turcarum incursibus deinceps vastata et iugo oppressa, antiquam prosperitatem luget, non desunt tamen, nostris quoque temporibus, pristinae ubertatis vestigia. Cui ubertati non tantum irrigatio et stercoratio, sed et requies anni Sabbatici favebant.

Palaestina pluribus calamitatibus est obnoxia. Etenim, praeter quam quod peste aegyptiaca, terraemotibus, siccitate, grandinibus, inundationibus, locustarum agminibus, quae segetibus maxime nocent, et vento Deserti, quem Arabes *Simun* vocant, id est pestiferum, saepe vexatur.

ANNOTATIO.

De Palaestinae ubertate legimus in Deut. 8. 7, 8, 9, 10:

« Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque et fontium: in cuius campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi: terram frumenti, hordei et vinearum, in qua ficus et malogranata et oliveta nascuntur; terram olei ac mellis: ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, et de montibus eius aeris metalla fodiuntur ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi ». Id quoque colligitur testimonio illorum, qui ad explorandam Terram promissionis missi fuerant: « Absciderunt palmitem cum uva

sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, et de ficis loci illius tulerunt . . . . et narraverunt dicentes: venimus in Terram ad quam misisti nos, quae revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest (Num. 13. 24, 28). »

e) Montes.

Praecipui montes Palaestinae sunt:

α) *Libanus* (לבנן), ad septemtrionem, qui duobus montium iugis constat, pari fere intervallo, in Syriam usque procurrentibus. Iugum occidentale a Graecis et Latinis *Libanus*, orientale *Antilibanus* appellatur. Horum montium vertices perpetuis nivibus albescunt; qua re nomen *Libanus* illis inditum est, quod, hebraice, *album* sonat. Altissimus Libani vertex *Hermon* est, nunc *Djebel-el-scheik*.

β) Trans Iordanem, iugum montium ab Hermon usque in Arabiam Petraeam protenditur. Pars septemtrionalis, e regione Galileae, montes *Basan*, pars media montes *Galaad*, pars australis montes *Abarim* complectitur. Hic eminet mons *Nebo*, e regione Jerichuntis, in cuius vertice, *Phasga*, Moyses diem supremum obiit.

γ) Ad occidentem Iordanis montes *Nephthali*, nunc *Safed*, proxime cum Libano coniuncti, *Thabor* Christi transfiguratione clarus et *Carmelus*.

δ) Ad austrum planitiei Jezraël, alia series montium excurrit per Samariam et Iudaeam. Pars septemtrionalis montes *Ephraim* complectitur, inter quos montes *Gelboe*, ubi Saul in pugna occidit, et montes *Hebal* et *Garizim*, ubi, duce Josue, male-

dictiones et benedictiones in Deuteronomio praescriptas Hebraei protulerunt.

ε) Cum montibus Ephraim *montes Iudae* coniunguntur, qui, inter mare Mediterraneum et mare Mortuum austrum versus, ad Desertum Idumaeae pertinent. Cernitur ibi, prope Iericho, mons *Quarantaniae,* nunc *Duke,* a Christi ieiunio hoc nomine appellatus.

f) Valles.

Tres valles memoria dignae sunt: vallis *Iosaphat,* ad orientem Hierosolymae; vallis *Aialon* Josue gestis celebris; vallis *Iordanis.*

ANNOTATIO.

« La valle di Giosafat si stende fra l' Oliveto e il Moria. Tristissimo ne è l' aspetto: le gotiche mura di Gerusalemme, che la coronano a ponente, vi spandono un'ombria, una tetra oscurità, acconcia assai a trattener l' anima ne' gravi pensieri, desti necessariamente dal nome stesso di Giosafat. Sembra che in ogni tempo sia stato luogo di sepoltura: l' occhio non vi si può arrestare che su trofei della morte. Costì vedi sepolcri dell'antichità più remota, colà tombe scavate pur ieri. Verso questa mesta vallea gli Ebrei, dispersi per l' universo, rivolgono i loro sguardi: migliaia di questi, talora nel fiore degli anni, abbandonano la patria, sperando di essere quivi sepolti.

Innumerevoli sono le loro pietre sepolcrali; coprono esse interamente il Monte dello scandalo, nome dato alla montagna su cui Salomone arse

incensi agli idoli, si stendono lungo il Cedron, e salgono, dietro i sepolcri d'Assalonne, di Zaccaria e di Giosafat, alla strada di Betania. La terricciuola di Silve ne è per modo accerchiata, che sembra far parte di questa vasta tomba degli Israeliti. La valle di Giosafat è una valle di misteri. Il suo nome, che vale quanto « giudizio di Dio », risveglia nell'animo non so quai pensieri dolci ad un'ora e terribili, un indistinto ineffabile di speranza e di terrore. Quivi, secondo il profeta Gioele, gli uomini compariranno un giorno al cospetto del Giudice supremo ». *(De Géramb — Pèlerinage à Ierusalem et au Mont Sinai —* Vol. II).

g) Planities.

Planities, in primis, a Gaza ad Joppen, olim a Philistaeis habitata, quae a Joppe ad Carmelum patet nomine *Saron;* planities *Jezraël* sive *Esdrelon* in Samaria; a monte Thabor ad lacum Genezareth minor planities et ipsa *Saron* appellata.

h) Silvae.

Densae silvae (יערים) quarum in Libris Sanctis saepe mentio est, nunc a Mahumedanis omnes excisae sunt.

i) Deserta.

Ea sterilis Palaestinae pars, quae a Thecua urbe, prope Bethlehem, per Arabiam Desertam usque ad sinum Persicum pertinet, *Desertum Iudae* appel-

latur, quod complectitur deserta *Thecue*, *Ziph*, *Engaddi* et *Maon*, ubi David, Saulis iram fugiens, latuit.

l) **Maria et lacus.**

Maria, quae proprio nomine appellantur, Palaestinae contermina, duo sunt: mare *Mediterraneum* et mare *Rubrum* vel *Erythraeum* (ἐρυθρὰ θάλασσα). Lacus praecipui: *Merom*, *Genezareth* et mare *Mortuum*, quod lacus est prioribus amplior. De mare *Mortuo* vel *Salis* (apud Graecos lacus *Asphaltites* et apud recentiores Arabes *Nahr-el-Luth* = *lacus Lot)* S. Hieronymus haec habet: « In hoc mari nihil vitale esse potest. Nihil enim quod spiret et possit incedere, prae amaritudine nimia, in hoc mari reperiri potest: nec cochleolae quidem parvique vermiculi et anguillae . . . . . . Denique si Iordanes auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit, statim moriuntur et pinguibus aquis supernatant (In Ezech. 47, 6). »

ANNOTATIO.

De mari Mortuo : (Posuit) « terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea (Ps. 106, v. 34) ». Et Tacitus (Hist. V, 7): « Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum iactu arsisse; et manere vestigia; terramque, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba, tenues aut flores, ut solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclitas quondam

urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, solo caeloque iuxta gravi. Et Belus amnis Iudaico mari illabitur; circa cuius os collectae arenae, admixtae nitro, in vitrum excoquuntur ». Pulchre Tassus in « Gerusalemme liberata » c. X, 61, 62:

Alfin giungemmo al loco ove già scese
Fiamma dal cielo in dilatate falde,
E di natura vendicò l'offese
Sovra le genti in mal oprar sì salde.
Fu già terra feconda, almo paese;
Or acque son bituminose e calde,
E steril lago; e, quanto ei torce e gira,
Compressa è l'aria, e grave il puzzo spira.
Questo è lo stagno, in cui nulla di greve
Si getta mai, che giunga insino al basso;
Ma in guisa pur d'abete o d'orno leve
L'uom vi sornuota e 'l duro ferro e 'l sasso.....

« Viri artis chimicae periti — ad rem Lamy (*Introd. in S. Script.*, pars I, pag. 279 in annot., Mechliniae, 1901) — pluries analysim instituerunt aquarum maris Mortui. Crescit autem vel decrescit quantitas elementorum amarorum prout aquae maris aquis fluminum intumescunt vel solis ardore minuuntur. Sed quovis tempore aquae huius lacus quadruplici ad minus quantitate elementorum amarorum ceteras aquas superant. Continent praesertim chlorureta magnesii, sodii et calcii; bromur magnesii; sulfat. sod., calcii, et magn. *Annales de Chimie et de physique*. Paris. 1856, p. 129, 599:. Terreil. *Comptes-rendus de l'Acad. des Sciences*, Paris., t. LXII, p. 13-29 ». Urbis Sodomae reliquiae ad austrum maris Mortui extant.

m) Flumina et torrentes.

Palaestinae unicus fere fluvius *Iordanes* est, qui, oriens ex monte Hermon, in lacum Merom influit, indeque in lacum Genezareth, quoad in mare Mortuum se aquis exonerat.

Praeter Iordanem plures rivi et torrentes Palaestinam alluunt, quorum alii in Mediterraneum, alii in mare Mortuum, alii in Iordanem decurrunt. Ex his sat erit meminisse *Iaboc*, qui in Iordanem influit, ubi Iacob, luctatus cum Angelo, *praevaluit*.

n) Divisio Palaestinae inter Israëlitas [1].

Hebraei Palaestinam, duce Iosue, armis occupatam inter duodecim tribus ita diviserunt:

α) regio *trans Iordanem* concessa fuit tribubus *Ruben*, *Gad* et dimidiae tribui *Manasse*;

β) regio *cis Iordanem* concessa fuit reliquis tribubus, hoc ordine: pars *septemtrionalis* tribubus *Nephthali*, *Aser* et *Zabulon*; pars *media* tribubus *Issachar*, alteri dimidiae tribui *Manasse* et *Ephraim*; pars *meridionalis* tribubus *Dan*, *Benjamin*, *Iuda* et *Simeon*.

Tribus *Levi* 48 civitates, in diversis tribubus sitas, habuit.

1) « Observatu dignum est, נחל significare flumen vel torrentem, sive aestate fluit, sive deficit; נהר autem fluvium magnum, et si cum articulo, הנהר, usurpetur, fere Euphratem designare (Ackermann. *Arch. bibl.*, Viennae, 1826, pag. 26). »

o) Divisio Palaestinae Christi temporibus.

Haec Palaestinae divisio, quam diximus a Iosue perfectam, usque ad Salomonis obitum obtinuit. Post schisma Roboamiticum, tota regio in duo regna divisa fuit, id est, in *Regnum Iudae* et *Regnum Israël;* ita ut *Regnum Iudae* eam partem, quae olim tribubus *Iudae, Benjamin* et *Simeonis* obtigerat, cum urbe Hierusalem complecteretur. Christi vero temporibus hoc modo Palaestina dividebatur:

1) *Trans Iordanem:* in *Peraeam* (a πέραν = *trans*), quae octo constabat provinciis, id est:

α) *Peraea.* strictiore significatione, ab Arnon ad torrentem Iaboc;

β) *Galaad* ad septemtrionem torrentis Iaboc;

γ) *Decapoli* ab ethnicis fere habitata;

δ) *Gaulonitide* ad orientem lacus Genezareth;

ε) *Batanaea* ad orientem Gaulonitidis;

ζ) *Auranitide* vel *Ituraea* ad septemtrionem Batanaeae;

η) *Trachonitide* ad septemtrionem Auranitidis;

θ) *Abilene* (Abilene *Lysaniae*) ad septemtrionem inter Baalbek et Damascum.

2) *Cis Iordanem:* in *Galilaeam* ad septemtrionem, *Samariam,* quae media erat totius regionis pars, et *Iudaeam* ad meridiem.

α) *Galilaea* dividebatur in *inferiorem* seu australem, et *superiorem* seu septemtrionalem, quae τῶν ἐθνῶν, id est, *Galilaea gentium* appellabatur. Praecipuae urbes Galilaeae: Dan, Asor.

Capharnaum, Corozaim, Bethsaida, Tiberias, Cana, Nazareth, Naim, Endor, Sidon, Tyrus, Ptolemais seu Acco.

β) *Samaria* ab urbe principe sic appellata. Praecipuae Samariae urbes: Samaria, Sichem vel Sychar, Iezraël, Silo, Caesarea Palaestinae prope Carmelum, Ioppe.

γ) *Iudaea* Idumaeam quoque comprehendit. Eius praecipuae urbes fuere: Bersabee, Hebron, Bethlehem, Iericho, Galgala, Bethel; verum omnibus praestat *Hierusalem*.

Hierusalem (ירושלים), quod Iudaeae caput est, temporibus Davidis parva urbs fuit, quippe quae Sion monte tantummodo constaret, qui mons, ad meridiem situs, ceteris collibus adiacentibus eminet. Sensim, additis collibus Acra ad septemtrionem et Moria ad orientem, incolis accrevit; sed, nostris temporibus, ob mutationes a Tito et Hadriano factas, soli olim declivis nulla vestigia manent.

In monte Moria, ubi Salomon Templum aedificavit, nunc *Meschita Omar* conspicitur.

Nullus fluvius Hierusalem irrigat: quare, regum industria, putei effossi et aquarum ductus extructi fuerunt, quibus e proximis fontibus in piscinas, intra moenia, aquae deducerentur.

Hierusalem, triplici cincta muro, plures portas habebat:

α) in urbe *vetere:* Porta *piscium,* P. *anguli,* P. *Benjamin,* P. *Ephraim,* P. *Vallis,* P. *equorum,* P. *laterum,* P. *media,* P. *prior,* P. *superior.*

β) in urbe *nova:* Porta *ovium.* P. *Custodiae,* P. *aquarum,* P. *Orientis,* P. *fontis,* P. *stercoris.*

Ad radices montium Sion et Moriae patebat *vallis Iosaphat,* quam alluit, cum aquis abundat,

Cedron torrens, ultra quem cernitur mons *Olivarum*. Vallis *Ben-Hinnom* seu *Gehenna,* ubi olim infantes deo Moloch immolabantur, meridiem versus patet. Mons *Calvariae* seu *Golgotha*, in quo Christus cruci affixus fuit, eiusque sepulcrum, ubi triduo permansit, extra urbem, ad occasum, sita erant; nunc autem in *Ecclesia S. Sepulcri* inclusa.

Aedificia celebriora, in vetere urbe, praeter Templum, fuere: Palatium regium Davidis, Palatium Salomonis, Domus saltus Libani, Porticus, Porticus solii, Palatium reginae, Atrium majus. In nova urbe: Ara, Praetorium Romanorum procuratoris, Palatium Herodis, Platea, Palatium Gazith.

Urbs Hierusalem peculiaribus gaudebat privilegiis: in ea non locabantur aedes, non pernoctabant corpora mortua nullique erant horti.

ANNOTATIO.

Gehenna. « La valle di Refaim è celebre per la distruzione dell'esercito di Sennacherib e per due vittorie di David sui Filistei. Essa stendesi tra ponente ed ostro di Gerusalemme, dalla fontana di Bersabea sotto il Sion al Monte del *Cattivo Consiglio,* così chiamato perchè presso le case di Caifa — le cui rovine tuttora si veggono — dove i Sacerdoti e i Farisei fecero proposito di uccider Cristo. Nella sua parte inferiore essa prendeva il nome di Valle dei figliuoli di Ennon, o di Geennon. Ivi, in un luogo detto Tofet, o Geenna, arse già continuamente un fuoco alimentato dagli Ebrei stessi, i quali sotto i re consacravano i loro figliuoli al Dio Moloch. Le urla di questi e quel fuoco inestinguibile davano

viva imagine dell'Inferno, detto però dalla Scrittura Geenna *(Mela. Comm. alla Ger. lib. di T. Tasso.* IX, 95, Modena, 1868) ».

Ex multis quae de agrorum cultura, de arboribus deque animalibus apud S. Script. interpretes scripta legimus, sat haec animadvertisse arbitramur:

1) *de agrorum cultura:* α) ager vertebatur aratro, quod boves trahebant. Hebraei autem, fortasse roboris inaequalitate, cum bove asinum alligare vetabantur; β) duas frumenti species Hebraei serebant: *triticum* et *hordeum;* γ) Messis fiebat mense Aprili et inde a Paschate ad Pentecosten. Messores, cantilenis, qui mos nunc etiam in Oriente obtinet, ad laborem sese excitabant. Hebraei vetabantur secare segetes usque ad solum, quas postea in manipulos coacervatas, in areis, bovibus in gyrum gradientibus, triturabant; grana autem, tribulis aut plaustris, e spicis excutientes, ventilabro a gluma separabant. Spicas, quae, metendo, exciderant, viduis, pupillis et pauperibus relinquebant. Viatori licebat spicas in agro alieno vellere et grana manducare, non falce metere; δ) Vites singulari industria colebantur. Vineae macerie aut saepe cingebantur, atque in singulis turris erat, e qua, vindemiae tempore, custos fures et feras arcebat; in vineis torcular uvis premendis extructum erat. Racemi pauperibus relinquebantur.

2) *de arboribus.* Praeter vineas, Palaestina abundabat oleis, ficis, malogranatis, palmis, terebinthis, ilicibus, sycomoris; Libanus autem cedris et cupressibus, quibus, Templo aedificando, usus est Salomon. Lignum *setim* (שטים) *acaciae* respondet.

3) *de animalibus.* Ex animalibus domesticis notabimus: camelum, equum, asinum, bovem, ca-

pram, apes etc.: equi, quem pinxit Iob (39, 19-25), ante Davidis et Salomonis tempora, nulla mentio apud Israëlitas invenitur; contra, magna equorum copia in Aegypto, cum illuc Iacob ingressus est. Ad bellum equi, generatim, adhibebantur; rarius rei rusticae inservierunt, ut legimus apud Is. 28, 28.

ANNOTATIO.

Alumnus Latinis et Graecis litteris doctus equi descriptionem, quam in libro Iob, loco superius citato, legimus, quaeque omnem comparationem vincit, conferat cum *Homeri*. Il. Z. 506 et segg. et 2. *Ennii*, *Ann.* lib. XVI, fragm. XVII ed. L. Mueller.

Asinis, pace, omnes vehebantur, primores et matronae, ut Abraham, Moyses et Christus ipse, cum, triumphans, Hierusalem ingressus est.

Muli in usu fuerunt Davidis et Salomonis temporibus, ab aliis populis ad Hebraeos adducti, qui Lege prohibebantur animalia heterogenea copulare.

C) BREVIS RERUM A POPULO HEBRAEO GESTARUM MEMORIA.

Postquam egimus de Palaestinae atque regionum finitimarum geographica descriptione, praestat aliquid dicere, quo expeditius ea quae ad antiqua Iudaeorum instituta spectant lector percipiat ac mente teneat, de rebus gestis a populo quem sibi Deus elegit. Utque, ex ordine, susceptum iter peragamus, mundi quas vocant aetates breviter percur-

remus. Quae mundi aetates, quod ad Vetus Testamentum attinet, id est, a mundi creatione ad Christi adventum, sex sunt:

a) aetas *prima* ab Adam ad Diluvium (anno p. m. c. 1656);

b) aetas *secunda* a Diluvio ad vocationem Abrahae (1656-2083);

c) aetas *tertia* a vocatione Abrahae ad exitum ex Aegypto (2083-2513);

d) aetas *quarta* ab exitu ex Aegypto ad aedificationem Templi Salomonici (2513-3000);

e) aetas *quinta* ab aedificatione Templi Salomonici ad finem captivitatis Babylonicae (3000-3468);

f) aetas *sexta* a libertate per Cyrum Hebraeis data ad Christum natum (3468-4000).

ANNOTATIO.


Inter recentiores historiae biblicae scriptores, praeter *H. Zschokke*, quem supra diximus, iuvat numerare: *Danko* (Hist. rev. div. A. et N. T., Vindob., 1866); *Vigouroux.* (La Bible et les découvertes modernes, Paris, 1884 59.); *P. Didon* (Jésus-Christ, Paris, 1891). Consilio *rationalistico* scripsere: *D. F. Strauss, H. Ewald, E. Renan, A. P. Stanley, I. Wellhausen, B. Stade* etc.

a) Aetas prima.

Cum ea quae pertinent ad mundi primique hominis creationem et *originale* peccatum omnibus sint cognita, sat erit animadvertere, eo temporis spatio, quod diluvium praecessit, Adami posteros,

in Genesi (6,2) in duas classes distingui; in *filios Dei* et *filios hominum;* altera Seth, altera Cain progenies, quam Deus execratus est.


Seth progenies, quae sancta et pia fuit, cum Adam et Noë decem Patriarchas numerat, qui *antediluviani* vocantur. En propaginum eorum tabulam ordine descriptam:




b) Aetas secunda.

Post diluvium, homines, a tribus Noë filiis, Sem, Cam et Iaphet, prognati, antequam diversas orbis plagas incolerent, consilium de excelsa turri aedificanda, quae nomen et gloriam eorum memoriae proderet, inierunt; sed, immissa a Deo linguarum

confusione, inceptis absistere atque novas sedes petere coacti sunt. Hic ponimus tabulam propaginum illorum, qui a diluvio ad vocationem Abrahae celebriores fuere:



Deus autem, ut idolatriae vitiisque irrepentibus caveret, atque oracula de futuro Messia impleret, gentem quamdam, tamquam populum suum, sibi elegit, et Abram de Ur Chaldaeorum in Chanaan vocavit, cui posteritatem magnam, illius regionis possessionem et Messiam ex eius semine oriturum pollicitus est. Haec est propaginum tabula liberorum Thare patris Abrami:



c) Aetas tertia.

Igitur Abram cum Sara coniuge et Lot fratris filio venit in Chanaan, ubi sub tabernaculis commoratus est. Contra, Lot Sodomae consedit, quem, bello captum a Chodorlaomor Elamitarum rege, Abram in libertatem restituit. Postea, cum victor e proelio discessisset, cumque ei Melchisedech, sacerdos et rex, Dei favorem precatus esset, iterum cum Deo foedus pepigit, cuius iussu non amplius *Abram* (= *pater excelsus*), sicut antea, sed *Abraham*, id est, *pater multarum gentium*, appellatur.

Ex Abraham Isaac, ex Isaac Iacob, ex Iacob duodecim filii, qui populi Dei capita fuere. Ioseph, qui unus omnium Iacobo patri carissimus erat, quod senex eum genuisset, ob invidiam, quibusdam mercatoribus madianitis a fratribus venditus et in Aegyptum ad Putiphar Pharaonis eunuchum ductus, ibi, post tristem sortem, ad summos honores evectus est; divinaque providentia factum est, ut, non ita multo post, annonae caritate regionem Chanaan

premente, patrem cum tota familia, ad 70 viros, praeter mulieres et infantes, apud se reciperet. His terram Gessen, annuente Pharaone, Ioseph habitandam dedit.

Iacobi posteri in terra Gessen prospere vitam agebant, et 215, vel, ut aliis magis lubet, 430 annorum spatio, ita multitudine aucti sunt, ut hominum fere sexcenta milia numerarentur. Id Aegyptii aegre ferentes, praesertim post Iosephi et Pharaonis mortem, durissima servitute Hebraeos vexare coeperunt. Deus autem, iniquum populi sui fatum miseratus, Moysem suscitavit, miraculorum dono insignem, qui, ab Aegyptiis, caelestibus plagis fatigatis, Hebraeis exitum ex Aegypto tandem impetravit, et in Promissionis terram iter instituit.

d) Aetas quarta.

Hebraei, ex Aegypto egressi, traiecto mari Rubro, per 40 annos, in Arabiae desertis commorati sunt; quo tempore mira patravit Deus, ut populum suum servaret et tueretur. Post Legem a Deo latam per Moysem in monte Sinai, Hebraei, longae peregrinationis pertaesi ac saepe rebelles, gravissimis mulctantur poenis; statutumque a Deo fuit, ut omnes qui in censu maiores annis viginti invenirentur, Iosue et Caleb tantum exceptis, ante ingressum in terram Chanaan morerentur. Moritur Moyses, et, duce Iosue, post plures gentes Dei ope bello devictas, Hebraei in terram Chanaan ingrediuntur; quae regio inter duodecim tribus dividitur.

Mortuo Iosue, Hebraeorum regimen apud *Iudices* esse coepit; qui *Iudices* fuere: Othoniel, Ehud, Samgar, Debora cum Barac, Gedeon, Abimelec,

Tola, Iair, Jephte, Ibsan, Aialon, Abdon, Samson, Eli, Samuel.

A Iosue ad ultimum *Iudicum* anni sunt 489 (= a saec. XVI ad saec. XI a. Ch. n.).

Quindecim *Iudicibus* in imperio *Reges* successerunt. Primi regnaverunt Saul, David et Salomon, qui templum, in monte Moria, Domino aedificavit.

e) Aetas quinta.

Salomoni Roboamus filius in regnum successit, qui, sua inconsiderantia, decem tribuum schismati, cuius, Davidis temporibus, Isboseth et Seba semina iecerant, occasionem praebuit. Sola tribus Iudae cum reliquiis tribus Beniamin (quae fere tota, ob gravissimam iniuriam cuiusdam Levitae uxori illatam, a ceteris tribubus fuerat deleta) in Roboami fide stetit; reliquae decem tribus a Roboamo ad Ieroboamum defecerunt. Hinc duo regna: regnum *Iudae,* cuius caput fuit Roboam, et regnum *Israël,* cuius caput fuit Ieroboam, qui in Samaria regnavit. Quo in regno res sacrae in peius ruerunt, cum Ieroboam, callidissime temporibus inserviens, ne qui sub ipsius imperio erant, Hierusalem religionis causa adirent, idololatricum vitulorum aureorum cultum in Dan et Bethel instituisset.

Quod perversum superstitionis genus Ieroboami successores secuti sunt; qua re, iustissimo Dei iudicio, hoc regnum eversum est: etenim quinque ex Israëliticis tribubus, regnante Phacee, a Theglathphalasar, Assyriorum rege, et reliquae, regnante Osea, a Salmanassare in servitutem ductae sunt.

ANNOTATIO.

« Partim a Gentilibus, partim ab Israëlitis, Samaritani orti sunt. His numero paucis licuit, annuente Assyriorum rege, in Samariam redire. Reliqui vero ex captivis Israëlitis, aut numquam reversi sunt, aut solum sensim et per turmas, ita ut coaluerint cum tribu Iuda; qua de re cf. Calmet *Diss. in Ezechiel (Mellini — Inst. bibl.* p. II, 15, *Bononiae,* 1878) ». Cf. *Petermann* in Herzogs Real-Encyklop. XIII, 359; *J. Grimm,* Die Samariter und ihre Stellung ind. Weltgeschichte - 1854; *I. Barges,* Les Samarit. de Napluse - 1885.

Regnum *Iudae* diutius mansit, non tamen nulla idololatrica labe contactum. Hoc, regnante Sedecia, evertit Nebukadnezar (Nabuchodonosor) Babyloniorum rex, qui, Hierusalem et Templo incensis, Iudaeos omnes Babylonem captivos duxit.

Captivitas babylonica 70 annos duravit, quoad Cyrus, Persarum rex, Babylone potitus, omnibus Iahvè cultoribus in patriam redeundi facultatem fecit.

Hic regum *Iudae* et *Israëlis* seriem ponimus:

Reges Iuda.	**Reges Israël.**
Roboam (933-917)	Ieroboam (933-912)
Abias (916-914)	Nadab (912-911)
Asa (913-873)	Baasa (911-888)
Iosaphat (873-849)	Ela (888 887)
Ioram (849-842)	Zamri (7 dies regnavit)
Ochozias (842)	Amri (887-877)
Atalia (842-837)	Achab (876-854)

Reges Iuda.	Reges Israël.
Ioas (836-797)	Ocozias (854-853)
Amasia (797-792)	Ioram (853-842)
Ozias (Azarias) (792-740)	Iehu (842-815)
Ioatham (740-736)	Ioachaz (814-798)
Achaz (736-728)	Ioas (798-783)
Ezechias (727-698)	Ieroboam II. (783-743)
Manasse (698-643)	Zacharias (743)
Amon (642 640)	Sellum (743)
Iosias (639 608)	Menahem (743-737)
Ioachaz (608)	Phaceia (737-736)
Ioakim (608-599)	Phacee (736-730)
Iechonias (599)	Osee (730-722)
Sedecias (599-588)	Samariae exstinctio.
Regni Iudae exstinctio.	

Sequitur series regum assyriorum saec. 8 et 7:

Salmanasar III (V) (781-772)
Assurdanil (771-754)
Assurnivar (753-745)
(*Phul* Chaldaeus)
Theglathphalasar II (745 727)
Salmanasar IV (VI) (727-721)
Sargon (721-704)
Sennacherib (704-680)
Esarhaddon (680-667)
Assurbanipal (667-626)
Asuredilel (626-606)
Urbis Ninive exstinctio (606)

(*Nabuchodonosor,* socius regni patris sui, in Babylonia, a. 605, post patris mortem a. 604, solus regnat usque ad a. 562).

ANNOTATIO.

« *Phul,* cuius nomen in inscriptionibus assyriacis non invenitur, eumdem esse atque *Theglathphalasar II,* supponitur. Duo enim ultimi reges *Assurdanil* et *Assurnirar* desides fuerunt et ignavi; quare eorum iam tempore *Phul Chaldaeus* provincias regni assyriaci sibi subiicere coepit, donec, Assurnirare mortuo, ipsum thronum assyriacum occuparet et tamquam Assyriorum rex novum nomen Theglathphalasar assumeret » (Cornely). « Per monumenta assyriaca et inscriptiones assyrio — *cuneiformes* recentissime inventas, non solum multae res biblicae, sed et chronologia dilucidantur; non tamen omnes difficultates chronologicae sunt remotae». *Zschokke* — Op. c. p. 225, II. Cf. *Oppert* — Les inscriptions Assyr. etc. 1862; *Schrader* — Die Keilinschriften u. das A. T., 1872; *Brandes* — Königsreihen von Juda u. Israël. Leipz.; *Kaulen* — Assyrien u. Babyl ; Tübinger Quartschr. 1874. 389 ; *Laacher* Stimmen VII. Bd. Omnium primus *Botta,* consul Galliae in Mossul, prope Khorsabad detexit immensam regiam Sargon etc. V. *Zschokke* ibid. Cf. *P. G. Brunengo* - La cronologia biblico-assira. Prato 1886.

Ad hanc quintam aetatem pertinent *Prophetae,* tum *maiores,* tum *minores.*

f) Aetas sexta.

Data per Cyrum libertate, Hebraeorum multi ex tribu Iuda, Beniamin et Levi, ducibus Zorobabele et Iosua sacerdote, Hierusalem reverterunt. Regnante Artaxerse, ascendit cum nova Hebraeorum manu Esdras, et dein Nehemias, quorum uterque provin-

ciam regia delegatione administravit. Interim urbs et templum iterum aedificantur.

Post Alexandri Magni mortem, qui, Persarum imperio everso, totum Orientem in suam redegerat potestatem, Aegyptus Ptolemaeis et Syria Seleucidis traditur; Iudaea autem modo Ptolemaeis, modo Seleucidis paruit. Sed, cum Antiochus Epiphanes, impius Syriae rex, qui mores ethnicos in Iudaeam invehere conatus est, acriter Iudaeos persequi coepisset, *Machabaei (= quis sicut tu in fortibus Domine?)*, sive *Asmonaei (= magnates)*, ex tribu Levi, strenui religionis vindices, Pontifices iidemque duces, in arma consurrexerunt. Horum pater fuit Matthathias, eiusque filii, Ioannes, Simon, Iudas, Eleazar et Ionathan, fama nobilissimi feruntur. His ducibus, Iudaei Syrorum regum iugum excusserunt.

Simon, ex quinque fratribus unus superstes, ut novam rempublicam conderet et firmaret, foedus cum Romanis, iam a Iuda et Ionatha ictum, renovavit. Hunc Iudaei rebus sacris et civilibus administrandis praefecerunt.

Simoni Ioannes Hyrcanus successit, qui imperii a patre accepti fines late protulit, atque cum Romanis societatem iterum inivit.


Aristobulus, Hyrcani filius ac successor, nomine et ornatu regio primus usus est; itaque regiam dignitatem cum Pontificatu coniunxit.

Annos fere 70 rerum Iudaicarum condicio satis prospera fuit; at, deinde, Aristobuli, filii natu minoris Alexandri Iannaei, ambitione, qui regnum fratri suo Hyrcano ademerat, contigit ut bellum civile cooriretur; qua re Pompeius Magnus, ad seditiones restinguendas missus, devicto Aristobulo

et Hierosolyma expugnata, Hyrcano summum Pontificatum restituit, sed, regio titulo ablato, provinciam exiguis terminis definivit.

Postremo, cum bellum civile iterum ortum esset, Herodes Magnus, natione Idumaeus, favente M. Antonio triumviro, a senatu romano rex Iudaeorum creatus est: qui, vi et dolo, Machabaeorum seu Asmonaeorum stirpem penitus excidit. Herode regnante, natus est Christus.

Tabula propaginum Machabaeorum seu Asmonaeorum.




Quoad chronologiam Novi Testamenti haec nota:

Post mortem Herodis Magni omni crudelitatis genere insignis, regnum inter filios eius ita divisum fuit: Iudaea, Samaria et Idumaea datae sunt Archelao *ethnarchae;* Galilaea et Peraea Herodi *Antipae;* Batanaea, Ituraea et Trachonitis Philippo. Herodes

et Philippus nomen et potestatem *tetrarchae* adepti sunt. Cum autem Archelaus, Viennam, in Galliis, ab Augusto in exsilium pulsus esset, Iudaea, in provinciam redacta, Syriae addita fuit.

Post mortem Philippi, ditio eius, cum Syria coniuncta indeque cum ceteris regionibus a C. Caligula Herodi Agrippae, Herodis Magni et Mariamne nepoti, cum regio nomine, traditur, romanis tamen procuratoribus Iudaeam administrantibus. Eius filius, Agrippa, a Claudio Caesare partem aliquam regni paterni habuit; quo regnante, cum Florus Iudaeae procurator esset, ob bellum immane inter ipsos Iudaeos ortum, Vespasianus et Titus Hierosolymam et templum deleverunt. Id contigit anno 70 post Christum natum.

Tabula propaginum Herodis Magni.



I.

Antiquitates domesticae





I.

Antiquitates domesticae.

Hoc capite complectimur ea quae spectant ad *aedes, vestes, cibos, mensuras, pondera et nummos, divisionem temporis et chronologiam, societatem domesticam, morbos et medicinam, mortem et sepulturam.*

ANNOTATIO.

Fontibus iam citatis adde quae sequuntur: *Ackermann* — Arch. bibl. Vindob. 1826; *J. Pareau.* — Antiq. hebr., Ultraj. 1828; *J. P. Allioli* — Handb. der bibl. Alterthums Kunde, Landshut, 1844; *C. F. Keil* — Handb. der Archäol., Frankf., 1875; *P. Schegg* — Bibl. Archäol, Freiburg in Br., 1887; *B. Schäfer* — Die rel. häusl. u. pol. Alterthümer der Bibel, Münster, 1891. Scriptores tamen, qui plus minusve *rationalismo* indulgent, etiam in re archaeologica, maxima cum cautela sunt adhibendi. Ex italis catholicis doctoribus, in suis *Biblicis Institutionibus*, nonnulla de antiquitatibus iudaicis habent *Ubaldi, Mellini, Pepe* etc.

1. AEDES.

Patriarchas in tentoriis et tabernaculis olim habitasse, quam plura S. Scripturae testimonia late evincunt. Etenim de Abrahamo (Gen. 13, 18) legimus: « Movens igitur tabernaculum suum Abram,

venit et habitavit iuxta convallem Mambre »; et de fratribus Ioseph (Gen. 37, 12): « Cumque fratres illius, in pascendis gregibus patris, morarentur in Sichem . . . . ». Progrediente autem tempore, in Aegypto et in Chanaan, Hebraei domos ex lapidibus luto connexis, vel ex cocto latere et calce, aedificare coeperunt. Aetate Iosue, hae domus, in Palaestina, humiles fuisse videntur; secunda contignatio nullibi memoratur. Contra, domus politissima arte perfectas laudat Ieremias (22, 14), quas « domus dimensas » (בתי מדות) vocat. Christi temporibus, divitum aedes, ad graecae architecturae normam, affabre erant exstructae.

Tecta domorum, quae ex terra aggesta, vel, ut in divitum aedibus, firmiore pavimento constabant, erant plana, prout nunc in Oriente conspiciuntur, et muro cincta. Tectum domi, id est *solarium*, Hebraei saepe ascendebant, non solum ut puriore caelo et libero in longinquum prospectu fruerentur, sed ut orarent, publicas solemnitates spectarent, lamentarentur, vel quidpiam omnibus annuntiarent, vel aestate — corpus tamen nocturni frigoris causa operti — somnum caperent. In tectis domorum tabernaculum aut etiam *coenaculum* erigebatur. (Cf. I Reg. 9. 25-26; II Reg. 11. 2; Matth. 10. 27 etc.).

Ianua domus, in media aedificii parte sita, quam inscriptione, ex Libro Legis deprompta, Lex Mosaica decorandam esse statuit, semper erat clausa sera lignea, vecte, vel repagulo, sub ianitoris vel ancillae custodia.

Post ianuam patet *vestibulum*, quadratae figurae, in quo, per gradus, in contignationes superiores usque ad planum tectum ascensus est.

Ex vestibulo aditus est ad *impluvium*, seu atrium,

id est, ad aream quatuor lateribus aedificii cinctam (τὸ μέσον), cuius centrum aquae salientes occupant. In quatuor aedificii lateribus, aut saltem in uno, est porticus, et in altera contignatione ambitus columnis sustentatus et cancellis munitus.

In latere posteriore aedificii, fronti opposito, est *gynaeconitis,* sive alterius sexus domicilium, soli marito patens, omnibus autem clausum. Ex altera gynaeconitis facie *hortus,* in quem parva quidem sed alta feminarum cubicula prospiciunt.

Cubicula, in structura, quae quadratum impluvium ambit, sunt alta et ampla. Eorum tegumen est planum, vel arcuatum, et fornicatum. Pavimenta blattis vel stragulis sterni solebant.

Fenestrae semper in átrium interius aut in hortum patebant, quae erant cancellis munitae, atque, hiemali tempore, velis tenuibus et pellucidis clausae; in plateas dumtaxat hinc inde quaepiam prodibat fenestella, tantummodo publicis solemnitatibus spectandis aperta. Per fenestras fumus exibat, cum nondum *camini* essent inventi.

Supellex domestica admodum parca: molla manuaria, furnus, ollae, patinae, utres, urcei, lucernae, mensae, sedilia, id est ea, quae ad quotidianos usus pertinent. Cf. IV Reg. 4, 10 de iis quae Sunamitis ad Eliseum excipiendum parari iussit.

2. VESTES.

Praemittenda: α) Vestibus heterogeneis (ut ex lana et lino) Hebraei non utebantur, vel quod hoc vestium genus solummodo sacerdotum erat, vel ut ita significarent simulationis vitium esse fugiendum. β) Quo melius a Gentilibus distinguerentur, Hebraei

fimbrias seu vittas hyacinthinas extremis vestibus apponebant. γ) Membranas (φυλακτήρια), in quibus Decalogi praecepta scripta erant, alias ad caput, alias ad manus, ut Legis custodiam significarent, alligabant. δ) Viri et feminae, capite tecto, stabant in Synagoga et in Templo; quoad viros hunc ritum mutarunt Apostoli (I Cor. 11, 4). Feminae in vulgus velato capite incedebant. ε) Color panni xylini albus et purpureus praeferebatur; color niger erat viliorum et lugubrium vestium.

Hisce praemissis, dicimus usitatum Hebraeorum vestitum complecti: *tunicam, cingulum, pallium, calceamenta* seu *sandalia.* De singulis:

a) Tunica.

Tunica (hebr. כתנת, gr. χιτών) vestis erat, manicis instructa, a collo ad genua descendens. « Tunica Sacerdotum linea, erat interula, usque ad talos demissa, corpus arcte ambiens et manicas circa brachia adstrictas habens, quam accinctam, sacerdotes gerebant et constrictam, paulo supra axillas, zona lata digitos ferme quatuor ». (Ios. Fl. *Antiqq.* lib. III, c. VII, 3). Tunica Salvatoris inconsutilis fuit. Evangelium meminit moris Hebraeorum habendi et ferendi duas tunicas.

Alia Hebraei utebantur tunica (סדין), quae, in Vulgata, *sindon* appellatur, cuiusque usus rarior fuisse videtur.

Sacerdotes, non ceteri Hebraeorum, *feminalia* (מכנסים), id est, *braccas lineas,* sub tunica gestabant, cum ad altare accedebant.

b) Cingulum.

Cingulum (חגורה), quo tunica, quae laxior erat, ad lumbos adstringebatur, ne ambulantem impediret, varium pro diversa hominum condicione fuit: gemmis et auro ornatum pro principibus et regibus; ex pellibus et corio pro pauperibus; generatim ex lino. Sacerdotes utebantur אבנט, id est, cingulo ex bysso, variis coloribus picto.

Cingulum, marsupii instar, pecuniae deferendae inserviebat; qua re Christus apostolis paupertatem commendans: « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris ». (Matth. 10, 9).

c) Pallium.

α) *Pallium* (שמלה, gr. ἱμάτιον) quinque vel sex cubitos longum et quinque vel sex pedes latum, super tunicam et cingulum Hebraei deferebant.

ANNOTATIO.

Χλαμύς est nomen graeci pallii usque ad genua pertingentis. Χλαμὺς κοκκίνη est pallium rubrum militum romanorum (Matth. 27, 28). Φελόνης vel φαινόλης (II. Tim. 4, 13) est Romanorum pallium *pluviale*, itinerarium, undique clausum, uno excepto foramine, ex quo caput eminebat.

β) *Mehil* (מעיל) erat quaedam toga seu tunica ampla, a collo ad talos fluens, Summi Sacerdotis, nobilium puellarum et principum propria. Hanc, hyacinthini coloris, Summus Sacerdos induebat sub *ephod* (Exod. 28, 31).

γ) *Cilicium* (שק) erat vestis lugubris, nigri

coloris, ex pilis caprarum vel camelorum confecta. Addimus quoad vestes sacerdotales:

α) *Ephod* (אפוד) seu *superhumeralem* vestem. *Ephod* Summi Sacerdotis ex auro, hyacintho, purpura et bysso retortum, opere polymito confectum erat. Super utrumque humerum duo lapides onchyni erant intexti, quibus insculpta duodecim tribuum Israël nomina, bipartita, patebant. *Ephod* sacerdotum ex lino tantum confectum erat.

β) Super *Ephod* erat *Rationale* (חֹשֶׁן) id est pannus quadratus, unius palmi, ad pectus apponendus, duodecim lapidibus cum nominibus duodecim filiorum Israël ornatus, et in mediis lapidibus voces *Urim* et *Thummim* (= *doctrina et veritas*). Ex eadem materia atque *Ephod* constabat. Sacerdotes, extra tabernaculum vel templum sacris vestibus uti non poterant, ne, cum eorum vestes ex lana et lino essent confectae, in prohibitionem Deuteronomii (22, 11) inciderent.

ANNOTATIO.

De *Urim* et *Thummim* Mellini (Inst. bibl. II p. pag. 43) haec tradit: « Quaerunt autem interpretes quid fuerint *Urim et Thummim*. De his haec habe: In Exodo (28, 30) dicitur: *Pones autem in rationali iudicii doctrinam et véritatem, quae erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino, et gestabit Iudicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper*. Ex his verbis colligunt interpretes summum Pontificem vestibus suis indutum ac praesertim *rationali*, oracula protulisse, seu claram *doctrinam*, et perfectam *veritatem* circa dubia, de quibus consuleretur prae-

buisse. Confirmant idipsum aliis Scripturae locis, quibus ostenditur Deus respondens per *Urim* consultus: uti Num. (27, 21): *Eleazar Sacerdos consulet Dominum;* iuxta hebraeum: *interrogabit .... in iudicio Urim coram Domino.* De ratione consulendi Deum per *Urim* et *Thummim* videatur *Quaestio* XVII *ex quaestionibus e S. Script. etc.* Antonii Zanolini,[1] Patavii, 1725, alia quoque loca apud Calmet et A Lapide in *Exod.* 28,30. Hoc autem posito, dicunt multi *Urim* et *Thummim* non fuisse voces inscriptas *rationali,* sed per illa significatos esse duodecim lapides sive gemmas, de quibus supra, quatenus per earum vel insolitum splendorem, vel mutationem aliam voluntas Dei patefieret. Ita in primis Lyranus. Sed opinantur alii non pauci *Urim* et *Thummim* voces fuisse in medio *rationali* scriptas, ac per eas indicatum fuisse summum Sacerdotem, eo ornamento praeditum, a Deo accepisse *doctrinam* et *veritatem,* sive auctoritatem *illuminandi,* ac *perficiendi.* Nec desunt qui autument *Urim* et *Thummim* fuisse nomen ipsius *rationalis* proprium, eidem etiam insculptum, ut indicaretur *doctrinae splendor* ac *vitae integritas,* quae Pontificem summopere decebant.» Cf. *Zschokke,* op. c. p. 107, 5.

d) Calceamenta seu sandalia.

Calceamenta seu *sandalia* (נעלים) tegumentum pedum erant. Constabant ex ligno, vel ex corii soleis, et, pedibus supposita, corrigiis seu loris alli-

1) A. Zanolini, eruditissimus vir, Seminarii Patavini ornamentum et decus, scripsit *Quaestiones lexic. Chald. Syr. Hebr. etc.*

gabantur. Hebraei calceamenta, tantummodo ambulantes, deferebant. Legimus in libro *Ruth* (4, 7), apud Hebraeos morem antiquitus obtinuisse, ut venditor, velut arrham contractus emptori calceamentum traderet. Sandalia solvere et alligare servorum erat infimorum; quod tamen officium discipuli doctoribus praestabant.

ANNOTATIO.

α) *Barba, coma, pileus.* Sacerdotes mitra, reges diademate, milites galeis, sponsi coronis, et mulieres mitris et velo, cum domo exirent vel cum viris colloquerentur, caput tegebant. Hebraei prohibebantur comam in rotundum tondere et barbam radere. Caesariem vero nutriebant et aliquando tondebant, ut patet ex praecepto Nazaraeis dato (Num. 6, 5). Comam viri, praeter quam in luctu, non promittebant; bene autem mulieres, ut patet ex I Cor. 11, 14. Barbam alicui radere, res erat ipsi ignominiosa.

β) *Mulierum luxus.* Luxum a mulieribus invectum, ita docet Isaias (3, 17): *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum et lunulas et torques et monilia et armillas et mitras et discriminalia et periscelidas et murenulas et olfactoriola et inaures et annulos et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria et palliola et linteamina et acus et specula et syndones et vittas et theristra. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium.*

γ) *Vestes lugubres.* Aliae erant vestes *ordinariae,* aliae *festivitatis, viduitatis* et *luctus.* De cilicio aliquid dictum est. Id tantum hic animadvertimus: in signum doloris et luctus Hebraeos consuevisse pulvere et cinere caput spargere et vestes scindere.

δ) *Della foggia del vestire etc.* (Biamonti — *Storia biblica,* I, cap. XV, pag. 347 e segg., Torino, 1886): « Siccome al finire dell' ottilustre pellegrinaggio cessar dovea il prodigio, durato continuo, di non essersi giammai logorate le vestimenta, nè i calzari a tutti coloro che stettero per tanti anni accampati nel deserto, pensò Mosè di stabilire alcune norme sulla foggia del vestire nel suo popolo. Per la qual cosa prescrisse di non indossare abiti con varietà di tessuti, come lana e filo, e proibì agli uomini di portare abiti femminili e alle donne quelli maschili. Quale era pertanto il modo di vestire degli uni e quale delle altre? I maschi indossavano le mutande o brache scendenti dai reni ai ginocchi, quindi adattato alla cute portavano il così detto *Sadin* di lino, e, sopra questo, una specie di tunica, con maniche, che giungeva fino al ginocchio, legata al di sopra delle anche con una cintura. Copriva da ultimo la tunica, il *simla* o pallio, che era quadro, fornito alla sua estremità inferiore di una larga fascia, cucita di color giacinto, e ai quattro angoli di nappe celesti pendenti e formate a forza di cordicelle annodate. Il pallio, volendo, copriva interamente la persona. Nelle donne poi la tunica discendeva fino al tallone, e, oltre la cintura, che era comune ai due sessi, esse portavano i così detti redimicoli, coi quali stringevansi il seno. Eran questi formati da una specie di fet-

tuccia, i cui due capi scendendo dietro il collo fin sotto alle spalle, si riconducevano poscia in avanti e incrocicchiavansi sul petto per quindi i medesimi posteriormente ricongiungersi al di dietro dei reni, sorreggendo in tal modo, a guisa di un doppio cingolo, la tunica, che, altrimenti, sarebbe discesa fino a terra. Il pallio poi della donna era alquanto diverso da quello degli uomini, e chiamavasi *peplo* dai Greci. Il vestiario adunque degli Ebrei, somigliante può dirsi a quello degli altri popoli antichi, era semplicissimo, composto di tessuti in lino, lana e cotone di color bianco per lo più o purpureo, in modo però che i detti tessuti non erano mai misti in un drappo medesimo; e non dissomigliava punto nei due sessi, tranne che nella maggiore o minore lunghezza, o nelle più o meno complicate cinture».

3. CIBI.

Hebraei, ante diluvium, fructibus tantum terrae nutriebantur; post diluvium, carnibus vesci coeperunt. Ideo praecipua eorum alimenta fuere: *panis, vinum et oleum, lac et mel, caro.*

a) Panis.

Panem ex frumento et ex farina hordeacea Hebraei quotidie conficiebant; ut vero frumenti grana frangerent, molis manuariis vel asinariis utebantur. Farina in massam subacta ac fermentata, quod munus mulierum erat, in clibano coquebatur.

Clibanorum genus fuit quadruplex: *α)* arena humi, igne calefacta, cui massae fermentatae imponebantur, post aliquod tempus vertebantur, et cineribus tegebantur. Ita parabantur panes *subci-*

nericii; β) rotunda fossa in terra, instar putei, lapidibus strata, in qua, igne calefacta, clauso orificio, panes coquendi deponebantur; γ) urceus testaceus, intrinsecus et extrinsecus argilla illitus, basi mobili impositus. Igne excitato, parietibus eius agglutinantur massae farinaceae, quae mox coquuntur; δ) bractea ferrea, tribus lapidibus imposita, in qua, item igne calefacta, massae farinaceae imponebantur.

Praeter panem fermentatum, Hebraei pane azimo, per octo dies Paschatis et in sacrificiis offerendis, utebantur.

Farina et oleo diversi generis placentae et lagana conficiebantur.

b) Vinum et oleum.

Vina aromatibus et myrrha condiebant, unde *vina myrrhata.* Mos erat in conviviis prius vinum bonum, postea deterius apponere.

Praeter vinum, *sicera* (שֵׁכָר), ex granis hordei, fermentata, vel alio potu ex dactylis palmarum aliisque fructibus expresso, Hebraei utebantur. Cui simile fuisse videtur illud ex vino et sicera aceti genus, quod romani milites Christo crucifixo obtulerunt *(posca).*

Oleum olivarum, praeter quam cibis condiendis, oblationibus et lucernis alendis inserviebat.

c) Lac et mel.

Lac ex capris, ovibus et vaccis, triplici modo, Hebraei adhibebant; ut potum, ut caseum et etiam ut butyrum; *mel,* quo, sacchari instar, utebantur,

aliud erat sylvestre, id est, quod apes, sponte sua, in foraminibus petrarum vel arborum cavo deponebant; aliud, arte et industria, apum cultura, paratum.

d) Caro.

Ex carnibus, aliae *mundae,* aliae *immundae* erant: *mundae,* quaecumque ex vaccis, ovibus et capris nascebantur; *immundae,* quibus Hebraeis vesci interdictum erat.

Sunt autem *immundae,* quae sequuntur:

α) Quadrupedes non ruminantes, neque ungulas plane fissas habentes, ex. gr: sues, equi, asini, etc.; species avium, in primis, quae carne vescuntur, uti aquila, milvus, corvus et aliae: struthio, noctua, cignus etc. (Lev. 11. 14);

β) Omnia reptilia, ut serpentes; ex insectis, locustae et cetera saltantia excipiebantur:

γ) Omnes pisces, qui pinnulis vel squamis carent.

Insuper Hebraei vesci vetabantur:

α) sanguine, carnibus animalium suffocatorum, et adipe uti in cibum, quod tamen multi intelligunt de solo adipe immolatorum;

β) frugibus agri, in quo diversi generis semina sata essent; item fructibus arborum trium annorum, cum fructus quarti anni, primitias Deo, cedere deberent;

γ) omni semine aqua humefacto, et omni cibo et potu ex vase, in quod immundi insecti cadaver delapsum esset; verum aquae cisternarum et puteorum et fontium excipiebantur;

δ) omni cibo et potu ex vase, quod in tentorio vel cubiculo hominis morientis aut mortui, non fuisset operculo alligato contectum;

ε) omni cibo idolis consecrato;

ζ) haedo lacte matris cocto.

Quaenam harum interdictionum ratio? « Nec dubitem, ad rem Ernesti (Ackermann, op. cit. pag. 174), in legibus de discrimine ciborum fuisse de consilio divino, disciplinam aliquam cupiditatum castigandarum et refrenandarum per necessitatem abstinendi ab iis cibis, quibus alii populi delectarentur ».

Prima carnium praeparatio erat *assatio* (עלה). Notatu dignus est modus, quo agnus assabatur: agnum integrum, baculo acuto a cauda ad caput, et altero baculo transverso, ad anteriores pedes traiecto, quasi crucifixum, in clibano, ad assationem usque suspendebant. Assae plebeiis usitatissimae, in Oriente, et locustae fuerunt, quas, evulsis alis, pedibus et intestinis, salitas, lignoque acuminato cosuffixas, ad ignem apponebant, atque assatas comedebant.

Hebraei soliti erant bis quotidie manducare: circa meridiem, quod *prandium*, et sub vespere, quae *coena* dicebatur, quaeque praecipua erat eorum refectio. Digitis manus dexterae cibos ex patina in os inferebant: quare, munditiei causa, antequam accumberent, manus et pedes lavabant; cui consuetudini, Christi temporibus, Pharisaei superstitiose inhaerebant.

Uti cibos coquere matrisfamilias erat, ita curandi convivii ratio ad patremfamilias spectabat, qui, ante et post mensam, congruentes preces, tum in epularum benedictionem, tum in gratiarum actionem recitabat. Harum precum formulae in *Thalmud* praefiniuntur, quae, generatim, huic respondent: « Benedictus esto Domine Deus noster!

rex mundi! qui hunc cibum, vel hunc potum ex terra, vel ex vite producis (Matth. 14, 9. 15. 36, 26. 27; Marc. 14, 26; I Cor. 10, 30; I Tim. 4, 4-5. Ackermann. op. cit. pag. 178) ».[1]

Convivae in sellis vel in lectis sedebant. Christi vero temporibus obtinuit persicus accumbendi mos: lecti, in coenaculo, erant, plerumque, tres (unde *triclinium* et *architriclinus*), aut, pro hospitum numero plures, qui, singuli, tres homines capiebant. Convivae discumbebant in latus sinistrum reclinati, inferiore corporis parte in longum porrecta, capite leviter erecto, et pedibus ad terram; familiarissimi autem ad pectus eius qui esset convivii princeps. Lectus medius honoratiori convivae dabatur quem Pharisaei ambiebant.

ANNOTATIO.

« Facevano gli Ebrei gran moto, quindi gran mangiatori, all'omerica, ma senza ghiottornia. I fanti di casa servivano ad aiutare, non a dispensare dalla fatica; Abraam serve colle proprie mani gli ospiti. La laboriosità e la frugalità li rendeva sì longevi! Morivano « pieni di giorni » e di una dolce morte. Una grande libertà, senza altro governo che il domestico; una vita facile ed agiata, tra l'abbondanza delle cose necessarie e il disprezzo delle superflue; una onesta fatica, senza inquietudini e senza ambizione; ecco il vivere che si assegna e si invidia ai Patriarchi.

1) V. *dott. Augusto Hasdà* — Formulario di preghiere israelitiche ecc., Torino 1905.

In seguito si alterò alquanto, ma non sì da smarrire i primitivi lineamenti.

Semplice il cibo; e sempre il pasto dopo la fatica, quindi il mangiare e bere sino dal mattino, valeva nel linguaggio scritturale stravizzo e disordine. Non conoscevano nè manicaretti, nè salse: bensì carni, legumi, latte, miele. I divieti di certi cibi aveano uno scopo igienico, o di esercitare gli Ebrei nella temperanza. Amavano nei dì lieti, incoronarsi di fiori e profumarsi e sedere a mensa, sotto la propria vite o il proprio fico, rallegrati dalla musica. Perfetta riguardavasi l'unione di questi due piaceri.

Non profani spettacoli, ma i religiosi erano magnifici.

Non conoscevano alcun giuoco; e alla caccia si applicavano, non tanto per diletto, quanto per utilità; si parla di reti e di lacci, ma non di cani, nè di equipaggi, nemmeno per i re.

Comune il bacio nel salutarsi; per riverenza ai luoghi santi si discalzavano; e pendevano al complimentoso. Usavano volentieri nel discorrere allegorie ed enimmi, e osservavano molta decenza di parole (G. *De Castro* — *I popoli dell' Oriente*, II. pag. 124-125, Milano, 1878) ».

4. DE MENSURIS, PONDERIBUS ET NUMMIS.

Sequentibus tabulis exhibemus *mensuras*, *pondera* et *nummos* Hebraeorum, ita ut *metrico systemati* plane respondeant:

Mensurae longitudinis.

Mensurae Hebraeorum.	*Mensurae metricae.*
Etsba, Digitus	0m·025
Topha, Palmus = 4 dig.	0m·093
Zereth = 3 palm.	0m·28
Amma, Cubitus = 6 palm.. . . .	0m·56
Kane, Calamus = 6 cub.	3m·36
Στάδιον, *Stadium* (mensura graeca a Iudaeis adoptata)	216m·23
Ὁδὸς σαββάτου, *Iter Sabbati* . . .	1120m·00

Mensurae liquidorum.

	Litra
Log, Sextarius	0,438
Hin	6,46
Bath	31,54
חמר sive כר, *Corus*	315,43

Mensurae aridorum.

	Litra
Komets, Pugillus, et *Cabus,* mensurae parvae —	
Gomor . . . . , ...	3,154
Sea, Satum et *Modius*	10,514
Epha	31,54
Letheq, Corus dimidius	157,76
Corus	315,43
Σάτον, *Satum* in N. T. *Modius* cum dimidio	12,16
Μόδιος, *Modius* romanus	8,57

Hebraei, cum pecuniam ponderarent, iisdem nominibus pondera et nummos designabant. Cognitio autem ponderum et numismatum a notione sicli, tamquam a fundamento, pendet.

Difficile est verum sicli pondus, quod attinet ad pondera et monetam nostram, definire, quum sicli sub Machabaeis et postea cusi ad nos corrosi pervenerint. « Siclus nummus est apud Hebraeos, qui valet quatuor drachmas atticas ». (Ios. Fl. *Antiqq.* III, 8, 12).

PONDERA ET NUMMI HEBRAEORUM.

	Fr. C.mi
Ghera, Obolus	0,15
Beka, dimid, *sicli*	1,50
Sekel, Siclus, Stater = 4 drachmae. .	3,00
Mane, μνᾶ, *Mina* = 100 *sicli*	300,00
Kikar, Talentum = 3,000 *sicli* . . .	9000,00
Talentum aureum = 43 Kg. auri	160,00
Quesitha, Agnus (?)	
Darkemon, Daricus, nummus aureus Persarum	18,54
Στατήρ, *stater,* nummus graecus, in N. T. idem ac siclus	3,00
Δράχμα, *Drachma,* 1/4 Stateris	0,75
Δηνάριον, *Denarius,* nummus argent. Romanorum	0,75
'Ασσάριον, *Assarius,* nummus aeneus Romanorum	0,03
Κοδράντης, *Quadrans,* nummus aeneus Romanorum	0,01 1/2
Λεπτόν, *Minutum,* nummus aeneus Graecorum = 1/2 centesimo.	

5. DE TEMPORIS DIVISIONE ET DE CHRONOLOGIA.

Hebraei tempus dividebant in *dies, hebdomadas, menses* et *annos:*

a) Dies. Ex Lege mosaica, diem *legalem* ab occasu solis inchoabant. Diem autem *naturalem* distinguebant in *mane, meridiem* et *vesperum.*

b) Horae. Iudaei, Christi temporibus, diem naturalem, uti et noctem, in duodecim partes dividebant: *prima* diei hora ab ortu solis, *secunda* noctis hora ab occasu solis incipiebat; quae partes, prout dies ac noctes, pro tempestatum varietate, inaequales erant. *Horae diei* dicebantur *prima, tertia, sexta* et *nona,* quarum quaeque tres horas communes complectebatur; *horae* autem *noctis* dicebantur *vigiliae:* hinc *prima, secunda, tertia et quarta vigilia,* vel, more romano, *sero, media nox, gallicinium, mane.*

c) Hebdomada. Hebdomada (שָׁבוּעַ) constabat septem diebus, quorum ultimus *Sabbatum* (שַׁבָּת) id est *requies,* quia ex Lege Dei *festivus,* appellabatur. Alii hebdomadae dies a Sabbato nomen habebant: *prima Sabbati, secunda Sabbati,* etc. Diei *sexto* peculiare nomen erat, παρασκευή (*Parasceve,* hoc est *praeparatio* eorum quae Sabbato essent necessaria). A Sabbato, tamquam a die praecipuo, tota hebdomada *Sabbati* nomen sumpsit. Ex. gr.: *una Sabbati; ieiunare bis in Sabbato. Hebdomada hebdomadarum* spatium temporis est septem hebdomadarum, id est, quadraginta et novem dierum, quod intercedit Pascha inter et Pentecosten, quodque *Festum hebdomadarum* audit.

d) Menses. Erant lunares, et diebus viginti et

novem vel triginta constabant. Initio, numeris, non nominibus, distinguebantur. Post exsilium babylonicum haec nomina sortiti sunt:

Nisan (Abib), a neomenia Aprilis;
Ziv (Jar), a neomenia Maii;
Sivan, a neomenia Junii;
Thammuz, a neomenia Julii;
Ab, a neomenia Augusti;
Elul, a neomenia Septembris;
Ethanim, recentius *Tisri*, a neomenia Octobris;
Bul, recentius *Marchesvhan*, a neomenia Novembris;
Cislev seu *Casleu*, a neomenia Decembris;
Tebeth, a neomenia Ianuarii;
Shebath, a neomenia Februarii;
Adar, a neomenia Martii.

e) Annus. Annus complectebatur duodecim menses lunares. At, cum annus *lunaris* anno *solari* undecim diebus brevior sit, Hebraei nunc secundo, nunc tertio cuique anno addebant decimum tertium mensem, *intercalarem*, qui dicebatur ואדר, quasi *Adar* iteratus. Annus *sacer* a mense *Nisan*, annus *civilis* a mense *Tisri* initium ducebat.

Varia annos numerandi ratio penes Hebraeos fuit. Tempus, sive series chronologica, ab Adam ad mortem Ioseph genealogiis adnectitur, ideoque permultis laborat difficultatibus, prout quisque textum hebraicum, vel Samaritanum, vel τῶν 70 sequitur.

Secundum hebraicum textum, ab Adam ad diluvium 1656, ad vocationem Abrahae 2083, ad mortem Ioseph 2369 anni numerantur (V. quae supra de *mundi aetatibus* disputavimus).

In libri *Maccabaeorum* occurrit *aera Seleuci-*

darum, diversa tamen ratione in utroque libro computata.

In N. T. chronologia rerum gestarum a Christo et ab Apostolis nectitur cum annis romanorum imperatorum, regni Herodis eiusque successorum et praefecturae romanorum procuratorum in Iudaea.

Secundum *aeram vulgarem* Dionysii Exigui († 556), Christus natus est anno U. C. 754, id est, anno circiter 4000 a mundi creatione, ut docent omnes, qui textus hebraici chronologiam pro Patriarcharum aetate sequuntur. Qui tamen inter se discordant, alii annum 4000, alii 4006, vel 4005, vel 4003 Christi nativitati assignantes. Iidem non consentiunt de annis definiendis, quibus praecipui N. T. eventus contigere.

6. DE SOCIETATE DOMESTICA.

Quum societatis domesticae fundamentum et radix, in legitima viri et mulieris, per *Matrimonium*, coniunctione consistat, patet hoc nostrae disputationis caput, paucis exceptis, ad *Matrimonii ritus*, qui apud Hebraeos obtinuere, maxime referri.

a) Matrimonium.

Initio, ut constat ex Gen. I, 27, 28, ad humanum genus propagandum, uxor viro indissolubili unione coniuncta est, omnique cura cautum est ut vago concubitu homines prohiberentur. Lamec, primus, a pristina matrimonii institutione deflexit, qui, cum duas uxores duxisset, multos habuit imitatores, neque Noachi filiorumque eius exemplum, qui coniugii unitatem servaverant, potuit impedire quominus Abraham et Iacob polygamiae indulgerent.

Quare factum est, ut polygamiam, aeque ac ceteris gentibus, Hebraeis acceptam, Moyses ipse, ni abrogaret, saltem, pro viribus, compescere studuerit. Ideo polygamia, etsi procedente tempore imminuta, perseveravit, quoad Christus matrimonium in pristinum restituit.

Sponsam filiis et sponsum filiabus paterfamilias eligebat; aderant tamen impedimenta, quae, hac in re, patrisfamilias arbitrio modum imponerent. Quae impedimenta ita ab auctoribus recensentur: *α)* prohibitum erat matrimonium, ob idololatriae periculum, cum Hethaeis, Gergezaeis, Amorrhaeis, Cananaeis, Pherezaeis, Hevaeis, Iebusaeis, cumque quibuslibet Gentilibus; quare, de huiusmodi matrimoniis mixtis, si quae occurrant, dicendum est, vel coniugem gentilem ad Deum conversum fuisse, vel Dei instinctu id evenisse, ut Ester Assuero nupsisse legimus; β) virgines heredes non poterant nubere nisi viris contribulibus et cognatis patri; quod impediebat ne avita bona a tribu distraherentur. Exime hac lege *non heredes et Levitas*, quibus peculiaria bona non essent; γ) illicitum erat matrimonium inter propinquos secundum gradus in Lege expressos (Lev. 8. 7-18; 20. 11-20). Id est: in linea recta, quocumque consanguineitatis et affinitatis gradu. Secundum autem et tertium consanguineitatis gradum, extra lineam rectam, non fuisse matrimonii impedimentum, constat ex Isaac et Iacob exemplo, qui mulieres tertii et secundi gradus consanguineas uxores duxerunt. Nepos vetabatur matrimonium inire cum amita; δ) sacerdotes vetabantur uxorem ducere repudiatam, lapsam, meretricem; item Summus Sacerdos viduam et quamcumque alienigenam.

Ad familiarum et bonorum distinctionem ser-

vandam spectat *Leviratus,* cui locus erat, cum quis sine filiis vita defunctus esset. Tunc frater defuncti, vel, eo deficiente, propinquus proximior viduam uxorem ducere debebat. Primogenito ex his nuptiis defuncti nomen eiusque bona hereditate obveniebant (Gen. 38. 8-12; Deut. 30. 5-6). Quamobrem, in Bibliis, non raro duplex adest genealogia: alia secundum naturam, alia secundum legem. Si autem frater vel propinquus proximior viduam uxorem ducere nolebat, res deferebatur ad iudices, coram quibus, mulier, repugnante viro, tollens calceamentum de pede eius, et in faciem eius expuens, « *sic,* aiebat; *fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israël, Domus discalceati.* »

Pertinet lex *Leviratus* ad sterilitatis opprobrium tollendum. Cf. *Benary* - De hebr. leviratu, 1835; Redslob - Die Leviratsche, 1836. Zschokke - op. c. p. 134, 2, 1.

Sponsalia, id est, pactum inter patrem fratresque germanos sponsae et patrem sponsi, praesentibus testibus, aevo recentiore, litteris fiebat, et, interdum, iureiurando. Vir parentibus pretium sponsae solvebat, quod erat certa nummorum summa vel aliquid aequale. Sic Caleb filiam suam promisit illi qui urbem Cariath Sepher cepisset. Item inter eos conveniebat de donis, aliquando etiam de dote (Cf. Ios. 15, 18.) quae a sponso erant ferenda. Perfectis sponsalibus, matrimonium, quamquam nullum commercium sponsum inter et sponsam intererat, iam ratum erat. Si sponsus sponsam ducere nolebat, ei, ut uxori, *libellum repudii* dare tenebatur; si sponsa cum alio rem habuisset, erat, ut adultera, lapidationi obnoxia.

Post decem vel duodecim mensium a perfectis sponsalibus intervallum, sequebantur *nuptiae* (Gen. 24. 55; Iud. 14. 8): sponsa, pro condicione sua, vestibus festis induta, corona caput redimita, faciem velata, a virginibus comitata, canticis et musicis instrumentis resonantibus, ad vesperum, e domo paterna in sponsi domum deducebatur, qui, coaevis iuvenibus *(filii sponsi)* circumdatus, eam excipiebat (Iud. 14. 11; Matth. 9. 18 etc.). Aevo recentiore, sponsae in domum sponsi deducendae praeferebantur lampades in scipionibus, cuius moris meminit (Matth. 25. 1). Inde lautum convivium inibant viri, quum mulieres in gynaeconitide mensis accumberent, recitabatur *benedictio nuptialis,* quà ampla posteritas nuptis exorabatur, et postremo uxor ad thalamum ducebatur. Hae solemnitates dumtaxat in nuptiis uxorum, quae proprio nomine appellantur, servabantur, non vero quoad pellices, quae mutuo tantum consensu assumebantur (Deut. 20. 10-12). Coniugalem statum, causa sobolis propagandae, plurimi faciebant Hebraei, quos penes sterilitas dedecori erat; non ita tamen, ut qui in Legis studium incumberet, virginitatem sine reprehensione colere nequiret. Uxores, viris subditae, rei domesticae invigilabant.

Adulterium, quod, iure mosaico, aderat, quum vir mulierem nuptam, vel desponsatam, vel viduam cum leviro unionem exspectantem, cognovisset, mortis generatim (Lev. 20. 10) et speciatim aliquando lapidationis (Deut. 22. 23, 24) poena plectebatur. Ast, ad poenam hanc incurrendam, oportebat ut mulier, in manifesto facinore deprehensa, a duobus testibus rea declarata fuisset. Contra, si uxor erat solummodo de adulterio suspecta, dabatur ei fa-

cultas deferendi iusiurandum *purgatorium,* quod vocabatur *recursus ad zelotypiam* vel *probatio* vel *aquae amarae,* in Tabernaculo vel Templo praestandum.

Quid de hoc ritu *purgatorio?* Ad rem Ackermann (op. cit. pag. 190): « Maritus uxorem ad aliquem sacerdotem ducebat simul cum ferto hordeaceo sine oleo et sine thure. Sacerdos, postquam eam accedere iussisset ad altare victimarum, sumebat de aqua sancta, sive quae in atrii labro erat ad sacros usus adhibenda, quam testaceo vasi iniiciebat, pulvere, qui in atrii solo erat, commixtam. Tum detracto de facie peplo, manibus mulieris fertum imponebat, interea dum ipse aquas tenebat, ob acres dolores, qui inde et ex ipsa imprecationum vi exspectandi essent adulterae, *amaras* dictas. Eamdem enim solemni formula, quam ipsa confirmare debebat, adiurabat, istasque diras in schedula scribebat, quas aquis delebat a muliere mox bibendis. Denique oblationem manibus huius eripiebat, et in altari adolebat: quo facto aquas imprecationum ei bibendas porrigebat; e quibus haec nil pateretur mali, si innocens esset; sin autem crimen, in cuius inciderat suspicionem, revera admiserat, vehementissimis torquebatur doloribus intestinis, ut eius venter intumesceret, ipsaque, si superviveret, ad liberos procreandos in posterum inepta redderetur. Ostendit Deus hoc modo investigandi adulterium, se esse vindicem fidei coniugalis et innocentiae protectorem. Praeterea sic cautum fuit, ne mariti uxores culpa vacuas occiderent, aut certe ne familiae litibus, conviciis rixisque affligerentur. Insuper ostendere voluit occulta etiam crimina sibi nuda esse et aperta, ac tandem adulterium grave

scelus esse et publica poena vindicandum (cf. Num. 5. 11-31). » Docent Thalmudici (Sota 9), hoc iuramentum 40 annis ante eversionem Hierosolymae abrogatum fuisse, eo quod viri ipsi se adulteriis contaminassent (Ioann. 8, 3-9), Deusque ritui efficaciam suam negaret, si mariti eiusdem criminis, atque uxores rei essent (Cf. Ioann. 8, 3-9 et Zschokke, op. c. p. 134, 3, 2).

Ad duritiam cordis (Matth. 19, 8), et iusta ex causa, Moyses permisit Hebraeis dare *libellum repudii*, id est, ut vir uxorem repudiaret. E converso uxori numquam licuit, si excipias, postremis temporibus, quasdam potentiores mulieres, quae, matronarum romanarum more, hoc ius sibi arrogare ausae sunt, easque uxores, quibus, cum nimis a viris gravatas se sentirent, per iudicem *libellum repudii* petendi facultas fuit. Moyses tamen, ut male utentium pravitatem caveret, statuit, ne uxor, si alteri nupsisset, ad priorem virum posset reverti, quamvis, repudio vel morte, secundum maritum amisisset (Deut. 24, 1-4). Quaeritur, modo, licitum necne fuerit, quacumque ex causa, dare *libellum repudii?* Herodis Magni temporibus, doctores hebraei acriter inter se de hac re disputaverunt: schola Hillelis docebat, quamlibet causam satis esse viro ut uxorem repudiaret; schola vero Schammai de solo uxoris adulterio, velut unica divortii causa, verba Legis interpretabatur. Hanc controversiam, contortam quidem ac difficilem, Pharisaei Christo definiendam proposuerunt, eum interrogantes: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* Quorum laqueos Christus effugit eos revocans ad pristinam matrimonii institutionem. Verum, quia ad locum illum

Matthaei (et 5. 32) acatholici interpretes provocantes affirmant, adulterii causa licere viro uxorem dimittere et aliam ducere, idque normam esse doctrinae de matrimonii vinculo, contendentes, verba *nisi ob fornicationem*, etiam in omnibus illis locis (Marc. 10. 11; Luc. 16. 18; I Cor. 7. 10, 11), ubi de matrimonio sermo est, esse supplenda, omissis permultis, quae, ad catholicam de indissolubili matrimonii vinculo doctrinam illustrandam ac vindicandam, apud probatos auctores legi possunt, nobis arridet, simplicissima litterali textus graeci animadversione ad rem uti, qua omnis difficultas plane dilui necesse sit. Sensus igitur v. 9 ita reddi potest: *Qui dimiserit* uxorem suam, et *aliam duxerit*, moechatur. *Adulterii* uxoris causa, uxor quidem *dimitti* potest; non tamen *aliam ducere licet*. « Veritas huius explicationis — uti recte scribit Klofutar. Comm in S. Matth., Labaci, 1898 — inde patet, quia in altera parte v. 9 dicitur: *et qui dimissam* (ἀπολελυμένην sine articulo τὴν); ergo *quamcumque* etiam *ob adulterium* dimissam (quia non additur: excepto *casu adulterii*) duxerit, moechatur. Ex quo elucet Christus per *dimissionem* non intelligere solutionem vinculi matrimonialis, sed tantum separationem a toro et mensa ».

Postremo, ut coniugii sanctitati consuleret, alia multa statuit Moyses in incestuosos, sodomiae et bestialitatis reos, meretrices ceterosque quomodocumque carnis vitio deditos.

b) Puerperae purificatio et infantium circumcisio.

Puerpera, post partum filii, septem dies erat immunda, et triginta et tres dies sequentes domi se

continebat; post partum filiae duplicabatur numerus dierum, quibus elapsis, in Tabernaculum vel in Templum infantem deferebat, ut sisteret eum Domino, et agnum anniculum, vel, si pauper, duos turtures aut duos pullos columbarum, in *purificationis* sacrificio, offerebat (Lev. 12. 1-8; Luc. 2. 22). Natalis dies, praesertim filii, festus erat, et, quotannis, convivio celebrabatur.

In signum foederis quod Deus iniit cum Abraham, octavo, a nativitate, die, omnis sexus masculini proles, sive filius, sive servus, domi circumcidebatur; qua occasione infantulo nomen imponebatur, quod Orientalibus numquam significatione vacat. Aetate recentiore nomina ex maioribus familiae eligebantur (Gen. 17. 10; Rom. 4. 11; Gal. 5. 3).

c) **Reliqua quae attinent ad domesticam societatem.**

Ad explenda quae attinent ad domesticam societatem, restat, ut aliquid dicamus de *hereditatibus*, de *primogenito, de liberorum educatione et paterna potestate, de servis, de pauperibus et mendicis, de ritu salutandi et de peculiaribus legalibus immunditiis.*

Parentum *bona* filios sequebantur: filiae omni hereditate privabantur, praeter quam quod si pater, sine filiis, e vita migrasset. Testamentorum scriptorum nonnisi aevo recentiore mentio est.

Primogenitus quaedam habebat iura peculiaria, scil. α) bonorum paternorum duplicem partem hereditabat; β) erat sacerdos familiae et ideo a sacerdotio redimendus; γ) gaudebat in fratres quasi patria potestate; hinc etiam fiebat, ut esset successor in regno (excipe Salomonem, qui, etsi iunior,

Dei nutu, successor regni fuit designatus (Deut. 21. 17; Gen. 35. 22; Num. 18. 15-16; etc). Ex his patet ratio, cur in Scripturis *primogenitus* dicatur quicumque dignitate aliis longe praecellit (Cf. Ps. 88. 28 et alib.).

Matres ipsae suam prolem lactabant, quod munus nutricibus, tantummodo valetudinis causa, committebatur. Filii, usque ad quintum aetatis annum, in gynaeconitide versabantur; postea patris disciplina instituebantur, qui praeter ea, quae negotia familiaria spectant, avitam mosaicam religionem eos docebat. Parentes autem, qui ampliore institutione filios suos erudiri cupiebant, eos Sacerdotibus vel Levitis praeceptoribus tradebant. Filiae manebant in gynaeconitide, ibique rerum domesticarum curam et artes muliebres discebant, quoad matrimonium inirent.

Patris potestas non modo in uxores et servos, sed et in filios, erat summa, id est, ad extremum quoque supplicium (Gen. 21. 14; 38. 24); quam tamen potestatem temperavit Moyses, uti colligitur ex Ex. 21. 15, 17; Lev. 20, 9 et Deut. 21. 18-21.

Servi apud Hebraeos recipiebantur non solum Hebraei, sed etiam alienigenae, Cananaeis exceptis. Eorum conditio satis benigna fuit.

Pauperum et mendicorum Lex mosaica maximam sollicitudinem prodit; nam eos mutua pecunia et eleemosynis levari iubet.

Ritus salutandi communis Hebraeis fuit: שׁלוֹם לך = *Pax tibi!* Ita et nunc in Syria et in Libano. In libro *Ruth* occurrit salutatio: *Dominus vobiscum!*

Agmen claudunt quaedam de *immunditiis legalibus*, quae vel *in se*, vel *contactu* sive *personae*, sive *rei immundae*, contrahebantur.

α) *In se* erant immundi: leprosi, ii qui quacumque ratione semen emiserant, puerperae, menstruatae, hemorroissae.

β) *Contactu* erant immundi qui tetigerant: personas immundas, quas supra diximus, animalia immunda vel eorum cadavera, ossa, vel sepulcra hominum mortuorum, domum et cadavera animalium sponte mortuorum; item qui ingressi fuerant domum, in qua cadaver hominis iacebat, et qui expiationis aquas tetigerant.

Harum immunditiarum aliae graviores, aliae leviores erant: graviores, ut leprosorum, seminifluorum et menstruatarum a Templo, sacrificiis et hominum consortio excludebant; leviores, id est, quae ex contactu oriebantur, a Templo solum et sacrificiis, non vero ab hominum consortio removebant. Posteriores cum die et meris lotionibus cessabant; priores ad plures dies protrahebantur, et nonnisi sacrificiis vel expiationis aqua delebantur.

Has omnes legales praescriptiones tulit Moyses ut valetudini et honestis Hebraeorum moribus consuleret, atque Israëlem, a Gentibus secernens, eumdem a labe idololatrica caveret.

7. DE MORBIS ET MEDICINIS.

Paucos, apud Hebraeos, morbos invaluisse ex S. Scriptura aperte constat; cui optimae corporum valetudini haud parvum incrementum dabant, tum boni mores, tum victus frugalitas. Itaque sufficit, ut, hoc capite, de tribus Hebraeorum potioribus morbis disputemus, id est, de *lepra, peste* et *paralysi.*

a) Lepra.

« *Lepra,* ut docet eruditissimus Ackermann (op. cit. pag. 218), se in cute quidem exteriori exserit, sed etiam telam cellulosam, immo ossa quoque et medullam, atque articulos quoque ossium inficit, ut extremi membrorum articuli sensim emoriantur, dissolvantur, decidant et corpus horrendum in modum mutiletur. Qui a nativitate leprosus est, 50, et qui deinceps infectus fuit, adhuc 20 annos tristissimos vivere potest. Lepra scilicet gravior omnem medicorum artem fallit; levior in principio sanari potest, sed si latius serpserit, insanabilis pariter evadit. Mors denique aegrotum plerumque inopinato obrepit: atque morbus in tertiam et quartam generationem transire solet. »

In Levit. (13) septem leprae species descriptas legimus; α) lepra alba et lucens; β) recurrens seu rediens; γ) inolita, sive in carne viva (primae enim erant cutis et capillorum); δ) mundissima, id est, minime contagione vulgata; ε) lepra capitis vel barbae; ζ) in calvitie; η) vestis vel domus (quod intellige *analogice,* qua tenus in his causae vel effectus leprae inveniebantur).

Lepra morbus naturalis fuit, sed, interdum, poena, a Deo ob peccata inflicta (Cf. II Par. 26. 19).

Cum lepra morbus esset contagione vulgatus, Moyses legem tulit, ut leprosi, qua tales a Sacerdote declarati, procul ab hominum consortio vitam agerent, in deserto extra castra, in Palaestina extra urbes, unde non possent ad suos redire, nisi sanatione a Sacerdote recognita et oblatis Deo sacrificiis a Lege praescriptis. Qui lepra laborabat, tenebatur habere vestimenta dissuta, caput nudum, os

veste contectum et clamare se sordidum. Insuper, ne Sacerdotes in distinguenda lepra contagiosa ab innocua errarent, Moyses externa eius signa descripsit in Levit. 13. 44 et seqq.

Quare Deus Sacerdotibus iudicium et expiationem leprae reservavit? Tres afferuntur causae: α) quia lepra peculiaris punitio superbiae et contumaciae contra Sacerdotes (Deut. 24. 8); β) quia leprosi, ex Lege, erant immundi, et ideo a sacris veluti interdicti atque irregulares: γ) quia sacerdotes, opera Moysis, noverant iudicia, quibus lepram contagiosam ab innocua rite discernerent. Lepra typus fuit peccati, eiusque expiatio imaginem refert Sacramenti Poenitentiae.

ANNOTATIO.

« La lebbra è una specie di *Elefantiasi,* che comprende come da una cancrena latente e generale tutta la persona, e si rivela nelle narici enfiate, nella tumida lingua, nel fiato putido, nel cadere dei capelli, e sopra tutto nelle larghe macchie biancastre, che appaiono ora in una, ora in altra parte della persona: è potentemente contagiosa massime per l'alito; ed Avicenna lo dice morbo incurabile, osservando che se la cancrena parziale è tanto difficile a guarirsi, quanto più sarà quella che investe e rode tutto l'organismo. È morbo indigeno dell'Egitto, e Galeno l'attribuisce al clima ed alla qualità dei cibi che vi si usano; di che fu naturale, che gli Ebrei, nella lunga dimora che vi fecero, ed in condizione se altra mai squallida e poverissima, la contraessero; e quindi la portarono come funesto retaggio, e la conserva-

rono sempre nella Palestina col nome di *Lebbra giudaica,* a differenza della *greca,* venuta anch'essa dall'Egitto, ma vestita, per la diversa qualità della regione, di diversi caratteri. Ad attenuare un così terribile flagello e ad impedirne il dilatamento erano ordinate assai prescrizioni della legge mosaica, tra le quali precipue erano, che il lebbroso dovesse starsene separato dal consorzio di ogni anima viva; e che, nel rarissimo caso di guarigione, dovesse presentarsi con un'offerta al Sacerdote, al quale solo apparteneva dichiarare vero il ristabilimento, perchè il guarito potesse essere riammesso alla convivenza cogli altri. Era come una *legge sanitaria* ed un conferire *patente netta* al guarito. A compimento della materia aggiungerò come i Crociati, reduci dalla Palestina, importarono quella malaugurata merce in Europa, dove si allargò tanto, e fece per parecchi secoli così vasta strage, che nella sola Francia vi avevano dopo le Crociate (incredibile a dirsi!) non meno di diciannovemila spedali per la lebbra unicamente, e si chiamavano *Léproseries.* Al presente, come dissi, non ve n'è più vestigio in Europa, se non fosse in qualche raro caso nella Svezia e nella Norvegia (*Curci - Lez. eseg. e morali sopra i quattro evangeli,* II, lez. XXXVI, pag. 301, Firenze 1874).»

b) Pestis.

Pestis, dira lues, ex Aegypto oriunda, Davide regnante, abstulit, tribus diebus, 70,000 hominum. Ut multis videtur, Deus peste delevit exercitum Sennacherib 185,000 hominum (IV Reg. 19. 35). Diximus *ut multis videtur,* quia, ut notat Menochius (Comm. in IV Reg. l. c.) « quo genere mortis

(Assyrii) occubuerint, non habemus ex sacro textu. Tradunt Hebraei, Assyrios ab angelo *igne*, i. e. *pestilentia*, ut ait Josephus, fuisse percussos.»

c) Paralysis.

Paralysis nomine, veteres, plures infirmitates complexi sunt: *apoplexiam*, quae totum corpus afficit; *hemiplegiam*, quae unius tantum lateris vires resolvit; *paraplegiam*, quae motus impedit in partibus sub cervice positis: *catalepsim*, qua fit ut manus, neque extendi, neque extensa retrahi possit, et minuatur et quasi arescat; *tetanum*, qui morbus, terribilis, in Oriente frequentior est.

A paralyticis distinguendi sunt *epileptici* sive *lunatici*, qui morbus lunae vi tribuebatur. S. Hieronymus (Matth. 4. 24) docet *lunaticos* quoddam daemoniacorum genus fuisse; idque a S. Matthaeo (17. 14-17) confirmatur. « Sed utrumque verum esse potest. Nam cum obsessione, velut eius effectus, saepe morbi naturales coniungebantur (Lamy. op. cit. pag. 322) ».

Quid respondebimus Rationalistis, qui toti in eo sunt, ut daemoniacos a Christo sanatos, nonnisi amentes furiosos vel epilepsia vel melancholia laborantes fuisse contendant?

Etsi nostrum, qui de Hebraeorum antiquitatibus breviter disputamus, non est ad rem theologice disserere, verum, cum, nostris temporibus, heu nimis communis sit S. Scripturam humano modo interpretari, opportunum ducimus haec afferre, quae habet P. C. M. Curci (Op. cit. III, Lez. XLVI, pag. 44) de obsessis Gerasenis: « Forse in nessun luogo dell' Evangelo ci si descrive in maniera così

espressiva, come si fa in questo (Marc. 5. 1 e segg.; Luc. 8. 26 e segg.; Matt. 8. 28 e segg.), l'orribile strazio, che di un uomo può fare il reo demonio, quando sia licenziato ad invaderlo e possederlo, a dir così, per cosa sua. Già da gran tempo quel disgraziato era vittima di una sì terribile ossessione; e per effetto di quella, svestita quasi l'umana natura, più di belva feroce avea sembianza e faceva atti, che non di creatura ragionevole. Ei fuggiva i luoghi abitati ed il consorzio degli uomini, non tollerava vestimento di sorta, e rimaneasi sempre dì e notte solitario o vagabondo pei monti, od appiattato nei sepolcri, che presso gli Ebrei erano come ampie caverne praticate nelle viscere delle montagne; ed ivi ululava disperatamente, e picchiava sè stesso con pietre: immaginate quale scempio doveva minacciare agli altri! Si era bene tentato di legarlo con catene e di avvincerlo nei ceppi; ma colui, spezzate le catene e sminuzzati i ceppi, guizzava di mano a quanti benchè robustissimi vi si provassero, più furioso di prima; tanto che non vi essendo forza che bastasse a domarlo, si era venuto a tale, che nessuno oggimai si attentava di passare per le vie vicine ai luoghi in cui quel feroce per ordinario vagolava. »

« Dopo questa descrizione . . . . voi potete intendere quale arduo, e dico anzi quale impossibile còmpito si assumano quei critici eterodossi, i quali, colle loro fisime di tutto spiegare nelle narrazioni bibliche come effetto di cause naturali, in questo e negli altri demoniaci dell' Evangelo, non vogliono vedere, che un pazzo di melanconia furiosa, e ci parlano di non so che specie di alienazione mentale, detta *licantropia,* per effetto di cui l' uomo

si crede di essere bestia feroce, propriamente lupo, ed opera a tenore di quella sua fantasia morbosa. E sia tutto vero; ma in quale manicomio si vide mai, qual mai *alienista* (così chiamano oggi, con voce poco bella e niente italiana, il medico dei pazzi) udì, che un frenetico facesse ciò, che si narra di questo demoniaco? So bene che nei loro parossismi si raddoppia e si triplica la forza muscolare dei furiosi; ma se i coloro muscoli non diventano di acciaio, sarà loro sempre impossibile spezzare catene di ferro come fossero di stoppa, e sminuzzare i ceppi come fossero di creta. Le moderne *camicie di forza* sono inventate, non perchè sia più efficace, ma perchè sia più umano il costringimento; e nondimeno, benchè non le siano di ferro, non vi è frenetico furioso, che da una di quelle non possa essere contenuto. La verità è, che innanzi al Vangelo non vi sono che due soli partiti a prendere: o avere il coraggio blasfemo di dire, che è tutto una favola da capo a fondo; ovvero avere il coraggio cristiano di crederlo tutto divino; e delle difficoltà che vi si scontrano domandare la soluzione alla scienza: cioè alla vera e grande filosofia più, che alla chimica od alla meccanica. Ma dal riconoscere il Vangelo per divino, e tutto poi volerlo spiegare umanamente, che è il vezzo consueto degli esegeti alemanni, non si può riuscire ad altro che a torturare spietatamente il proprio cervello ed il sacro testo, mostrandosi sempre degni di compassione, e non rade volte ancora di riso. » Cf. et *Minocchi. Il Nuovo Test.*, pag. 14 n. 24, Firenze, 1900.

Artem medicam Hebraeis cognitam fuisse ostendunt *Gen.* 36. 24; 50. 2; *Exod.* 21. 18; multa, quae

de menstruis, leprosis etc. Lex praescribit; metaphorae et allegoriae ductae ex vulneribus, oleo, fasciis etc. praecipue apud Isaiam et Ieremiam. Prima *chirurgiae* vestigia habes in circumcisione ab Abrahamo peracta, immo arte chirurgica videtur *medicina* fuisse circumscripta, cum de nullo medicamine, quod febri, languoribus, pesti etc. mederetur, in Bibliis, mentio fiat. Christi temporibus multi medici, Hebraei et Graeci, erant in Palaestina, ut patet ex Marc. 5. 26; Luc. 8. 43 et 5. 31.

8. DE MORTE ET SEPULTURA.

Hebraeis, ut fidem ostenderent, qua animos immortales et corpora resurrectura esse crederent, hae de morte locutiones familiarissimae fuere: *apponi ad sepulcrum suum; ire ad patres suos; recumbere, dormire cum patribus suis.* Sepulcra *domus viventium,* et *limbum,* in quo degebant animae defunctorum, exspectantes Messiae adventum, שְׁאֹל (in Vulg. *infernus*) appellabant.

Imminente morte, patres filiis suis benedicebant bonaque sua inter eos dividebant. Morientis oculos propinqui vel amici claudere solebant. Cadaver, aqua ablutum, aromatibus conditum, sindone involutum, sudario capiti imposito et institis Aegyptiorum more singula membra ligatum, in aula maiore, seu in coenaculo, usque ad sepulturae tempus deponebantur. Cum autem efferendi cadaveris hora adesset, in domum defuncti conveniebant propinqui, amici, tibicines et lamentatrices, qui omnes funus comitabantur. Cadaver, aperto loculo, feretro impositum, quod quatuor aut sex ex propinquis ge-

stabant, ferebatur. Funerum solemnitas maior vel minor pro defuncti condicione fuit.

Iudaei corpora mortuorum humabant; tamen legimus corpora Saulis eiusque filiorum, et Asae et Sedeciae fuisse cremata. Item Ioramo regi probro vertitur, quod, ob crimina, secundum combustionis morem, sepulturae traditus non fuerit. Quid ergo sentiendum? Post exsilium, docet Ackermann, hunc ritum Hebraeos abominatos fuisse; sed, rectius, Thalmudici doctores ita cremationem hanc intelligunt, ut non corpus, sed aromata supra corpus cremarentur, cui interpretationi favet II Par. 16. 14.

Ad legales immunditias vitandas Hebraei mortuos extra urbes, oppida et pagos, in terra, in speluncis, in hortis vel sub arboribus frondosis humabant: in terra pauperes, in speluncis vel in cryptis divites, in sepulcro, in Sion monte, intra urbis muros, reges. Specus vel natura vel arte excisi erant; unum idemque sepulcrum toti familiae destinabatur, ex quo excludi probrosum. Ianua specus grandi lapide acclinato claudebatur. Praeter sepulcra Regum in Sion, memoria digna sunt: sepulcrum Abrahami; sepulcrum Iosue [1] (quod nuper repertum creditur prope *Kirbet-Tibneh* ad septemtrionem montis *Caas*); sepulcrum Machabaeorum magnificentissimum in Modin; sepulcrum ceteris longe sanctius D. N. I. Christi. Sepulcrorum fores vel superficies, ni, alio modo, facile agnoscerentur, quotannis, mense Adar dealbabantur, ne qui Hierosolymam ascenderent ad Pascha celebrandum, accederent et contaminarentur.

1) V. *Revue biblique* etc. ann. 1893, p. 608; 1894, p. 445; 1896, p. 277.

Pro defunctorum dignitate, plus minusve luctus protrahebatur. Tempus luctus plerumque septem dies durabat, quo tempore Hebraei multiplicia doloris signa dare solebant: vestes scindebant, caput cineribus aut pulvere conspergebant. saccum vel cilicium induebant, barbam capillosque radebant vel evellebant, lacertos incidebant, balnea, laeta colloquia, capitis unctionem, epulas intermittebant.

Post humatum cadaver, propinqui eius, ut lugentes exhilararentur, *convivium* inibant *(Panis dolorum* et *calix consolationis)*; cumque Hebraei crederent *Purgatorium* exsistere filii, duos menses, preces fundere pro patre defuncto solebant (II Reg. 3. 35; Ier. 16. 4, 7; Os. 9. 4; Ez. 24. 16-17).

Summus Sacerdos funus nullum, ceteri vero Sacerdotes tantum patris, matris, filii et filiae, fratris ac sororis virginis et innuptae, curare, neque in luctu esse poterant.

APPENDIX.

1. ARCHITECTURA.

Cum parum liqueat, quae fuerit Hebraeorum architecturae ratio, putamus a vero non esse alienos qui opinentur, hebraicam architecturam multa hausisse ex Aegyptiis, Phoenicibus et Babyloniis, ita tamen ut peculiarem indolem sibi efformaret.

2. SCRIBENDI ARS.

Materiam ad scribendum usitatam, aliam ex regno *vegetali*, aliam ex regno *animali*, aliam ex regno *minerali* Hebraei mutuabantur. Erant autem:

α) ex regno *vegetali:* folia arborum; liber, βίβλος seu cortex arborum; tabula lignea cera linita (לוּחַ) seu pugillaris (πίναξ); linteum; charta papyracea;

β) ex regno *animali:* pelles animalium;

γ) ex regno *minerali:* tabulae plumbeae vel aeneae; lapides; laterculi, qui, insculptis litteris, igne coquebantur.

Instrumentum, quo scribebant, erat *stylus* in materia dura; in linteis, charta et pellibus, bacillo acuto vel penicillo, et, fortasse, vero calamo utebantur. *Libri* seu *volumina,* Graecorum et Latinorum more, conficiebantur. *Atramentum,* diversis modis confectum, pro usitatissimo ponitur.

3. DE HEBRAEORUM POËSI.

Praeter tropos, imagines et figuras audaciores, sensusque elatos et ardentes, hebraicae poësis proprius est *sententiarum rhythmus,* qui *parallelismus* vocatur, idest, non pedibus neque certo syllabarum numero, sed, *parallelis sententiis,* Hebraei carmina metiuntur; quae sententiae, syntaxi vel significatione, *synonymae, antitheticae* vel *syntheticae* sibi respondeant. En huius triplicis *parallelismi exempla:*

α) « In exitu Israel de Aegypto || Domus Iacob de populo barbaro » (Ps. 113. 1) ». Hoc est exemplum *parallelismi synonymi,* quod eamdem ideam, bis terve, vocabulis idem significantibus, ita exprimit, ut alterum membrum priori, aut integrum aut ex parte, plane respondeat.

β) « Simplicitas iustorum dirigit eos || Et

perversitas impiorum devastat illos (Prov. 11. 2) ». Hoc est exemplum *parallelismi antithetici*, quod opposita oppositis dilucidat.

γ) « Lex Domini immaculata || recreans animum; Testimonium Domini fidele || sapientiam praestans parvulis; Iustitiae Domini rectae || laetificantes corda; Praeceptum Domini lucidum || illuminans oculos. (Ps. 18. 8-10) ». Hoc est exemplum *parallelismi synthetici*, quod altera addens membra, verborum conformatione vel longitudinis proportione, similia, sensum continuat et complet.

Carminum genus quod vocant *lyricum* et *didacticum* tantummodo Hebraei coluerunt. Liber *Job*. formam quidem epicam vel dramaticam et *Canticum Cantic.* dramaticam exhibent; minime tamen poëmati, nec epico, nec dramatico, stricta significatione, adnumerari possunt.

ANNOTATIO.

De poësi hebr. Cf. *Lowth* — De S. poësi hebr. Gotting, 1761; *I. G. Herder* — Vom Geiste der hebr. Poesie. Dessau, *1782; F. Q. Köster* — Die Strophen oder der Parallelismus der verse der hebr. Poesie. 1831; *G. Bickell* — Metrices biblicae regulae. Oenip. 1879; *G. Gietmann* — De re metrica hebr., Frib. 1880; *Joh Doller* — Rhythmus, Metrik und Strophik in der bibl. hebr. Poesie — Paderbon, 1899. Adde quae traduntur a *Cornely* et *Vigouroux* in bibl. instit.

4. ARS MUSICA.

Quae ad Hebraeorum artem musicam spectant, nonnisi coniectura assequi possumus. Pro certo est musica instrumenta triplicis generis fuisse:

α) instrumenta *chordis* instructa, quorum praecipuum *cithara* (כִּנּוֹר);

β) instrumenta *inflatilia*, ut *Ugab* (עוּגָב), *Organum* in Vulgata (fistula pastoritia?);

γ) instrumenta *pulsatilia*, ut *tympanum* (תֹּף).

Multi sunt qui cum Clemente Alexandrino (*Strom.* 6) putent, Hebraeorum musicen ad *doricum* genus accessisse.

De saltatione haec nota: proceres non consuevisse saltare cum plebe mixtos; quod Michol Davidi vitio vertit. Aevo recentiore, proceres saltationes solummodo spectabant.

ANNOTATIO.

De Hebr. musice disputarunt; *Pfeifer* — Musik d. Hebr. 1779; *Gerbert* — De musica sacra; Saalschütz — Geschichte und Würdigung der musik bei d. Hebr. 1829; *Joh. Weiss* — die musik. Instruments in den hl. Schriften des A. T. Graz 1895.

5. DE ARTIBUS, MERCATURA ET USURA.

Haec teneto: α) Post captivitatem babylonicam, ut docent Thalmudici doctores, omnes, sive divites, sive pauperes artem aliquam profitebantur; unde in proverbio erat: « Qui non docet filium suum aliquod opificium, docet latrocinium ». β) Mercaturam Hebraei non exercebant cum alienigenis, quorum societatem vitabant. γ) Usuram cum fra-

tribus generatim prohibuit Deus (Lev. 25. 36, 37) et maxime cum pauperibus (Ex. 22. 25); at cum alienigenis usurane permissa fuit? Ad rem Mellini (op. cit. II, pag. 123): « Permissa videtur ex Deut. 23. 19, at cum alibi usura generatim damnetur, hinc dicendum est, vel fuisse solum a lege positiva mosaica cum extraneis toleratam propter duritiam cordis Iudaeorum, ne fratres suos opprimerent, ut arbitratur Angelicus; vel solum positive permissam cum Cananaeis, Amorrhaeis, Amalecitis, quos exterminare debebant Hebraei; nam ubi ius belli, ibi etiam ius usurae ».

6. DE HEBRAEORUM DOCTRINIS.

Quod ad doctrinas attinet, non est dubium quin Hebraei *geometriam, mechanicam* et *astronomiam* aliquatenus excoluerint. Morum doctrina apud eos maius incrementum habuisse videtur.



II.

Antiquitates politicae





II.

Antiquitates politicae.

Pertinent ad antiquitates politicas: *forma reipublicae Hebraeorum, leges, iudices, iudicia et poenae, res militaris.*

1. REIPUBLICAE HEBRAEORUM FORMA.

Cuique perspectum est Hebraeorum reipublicae, quae in Sinai ortum habuit, non unam eamdemque semper fuisse regiminis formam: alia enim, cum Hebraei *immediate* a Deo regerentur, alia sub Moyse, alia sub Iosue, alia sub regum imperio, alia post babylonicam captivitatem fuit.

In primis, Deus, qui Israëlitas a servitute Aegyptiaca liberaverat, in monte Sinai, Lege solemniter promulgata, se ipsum legislatorem et iudicem constituens, populum suum ad reipublicae formam ordinavit et immediate regere ac gubernare decrevit: « Si ergo audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta ... Responditque omnis populus simul: cuncta, quae locutus est Dominus, faciemus (Exod. 19. 5 et seqq.) » Quam primam regiminis formam recte appellari *theocraticam* (θεοκρατίαν) late evincunt, praeter

S. Scripturam, SS. Patrum et theologorum catholicorum testimonia.

Procedente autem tempore, factum est ut regiminis theocratici forma, quae Hebraeorum reipublicae caput fuit, aliquo modo mutaretur. Etenim Deus Moysi praecepit, ut septuaginta seniores, spiritu prophetico plenos, eligeret, qui eum, tot oneribus ferendis imparem, consilio et opere adiuvarent: « Et dixit Dominus ad Moysem: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri; et duces eos ad ostium tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum. Ut descendam et loquar tibi et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris (Num. 11. 16, 17). » Haec altera regiminis forma, quae appellari potest *aristocratica* (ἀριστοκρατεία), stetit sub Iosue et etiam fere sub Iudicibus; quo tempore, solummodo, ad praeceptum Moysis, iudices ac magistratus in singulis civitatibus constituti sunt.

Post iudicum imperium,[1] Hebraei a Samuele regem petierunt, primusque rex unctus est Saul, quem deinde alii secuti sunt usque ad Sedeciam, a Nabuchodonosor Babylonem in captivitatem ductum. Quae tertia regiminis forma *monarchica* (μοναρχία) dicenda est.

Post babylonicam captivitatem, Hebraei, licet Persarum et deinceps Graecorum regibus subditi, a Summis Pontificibus, quibus non modo in sacris, sed et in civilibus parebant, regi coepti sunt; ex quo liquet *aristocratiam* fuisse restitutam.

Postremo, Romani, Iudaea potiti, Hebraeis He-

1) Cf. Vigouroux — La Bible et les découvertes etc.

rodem Antipatri filium, natione Idumaeum, Augusto probante, regem dederunt, cui et alii reges in imperio successerunt, quoad provincia tota per praesides et procuratores romanos, plures annos, administrata fuit. Quo tempore iterum *monarchiam* instauratam fuisse patet.

2) DE LEGIBUS.

Antequam, hoc capite, de peculiaribus mosaicae Legis notis dicamus, haec sunt animadvertenda: *a)* Adam, praeter *naturalem legem* in corde inscriptam, a Deo creatore praecepta verbis expressa habuit. *b)* Item Patriarchis alia praecepta data sunt: *naturalia*, quae omnes gentes spectant, et *positiva*, idest de distinguendis animalibus mundis ab immundis, de non sumendo sanguine, de circumcisione, etc.; quae ad Hebraeos tantum pertinent. *c)* In monte Sinai Deus legum Codicem perfectum, ad Hebraeorum rempublicam regendam edidit.

Quaenam sunt Legis mosaicae praecipuae notae?

a) Lex illa data est, ministrantibus angelis [1], per Moysem, idest, per proximum Dei mediatorem (Gal. 3. 19); ideo unum Deum habuit auctorem.

1) « De angelorum interventu, quando in Sinai lex Moysi data fuit, nihil dicit Scriptura veteris Testamenti; igitur Paulus sequitur hic traditionem Iudaicam, cuius prima vestigia in versione 70 interpretum, Deut. 33. 2 (non autem in hebraeo) reperiuntur, quaeque Act. 7. 53 et Hebr. 2. 2 iterum refertur. Haud improbabile est, tonitrua et fulmina, de quibus mentio fit in apparitione Dei super Sinai, ministerio angelorum excitata fuisse. Auctores illi, qui, in quaestione de Theophaniis sub vetere Testamento, censent Deum numquam immediate apparuisse, opinantur Angelum quemdam, qui Dei personam gereret, Moysi Legem

b) Scopus eius fuit Christus: « Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti (Rom. 10. 4). » Id est: Lex mosaica tendit in Christum veluti in finem suum, et cessat in adventu Christi, per quem iustitia vera cuivis credenti conceditur.

c) Lex mosaica spectat felicitatem populi Dei, tum in hac vita per bonos mores ac sanctitatem, tum in altera vita per supernaturalem Dei fruitionem. Quare *beati,* qui Legem sectantur, et *verba vitae* Legis ipsius praecepta in sacris Litteris saepe appellantur.

d) Legis mosaicae praecepta alia sunt *moralia,* alia *caeremonialia,* alia *iudicialia:* « Haec sunt praecepta et càeremoniae et iudicia (Deut. 6. 1). »

e) Lex mosaica allegoriis abundat, quae ad populum hebraeum, mente rudem, docendum maxime idoneae habebantur. Ita S. Paulus ad Rom. 2, 29 scribit; « Circumcisio cordis in spiritu, non littera. » Quibus verbis Apostolus significat, interiorem circumcisionem, quae in animo est, veram esse circumcisionem; non vero quae exterius, secundum litteram Legis, fiat.

f) Plurima mosaicae Legis praecepta numeran-

dedisse. Qui vero oppositam amplectuntur sententiam, verba Apostoli *per angelos* sic explicant: praesentibus et ministrantibus angelorum agminibus: ita Beel. Et duo afferunt huius explicationis argumenta: 1.° vox *ordinata,* διαταγείς (a διατάσσω *dispono, ordino, constituo*) sign. *lata,* non *promulgata;* atqui angeli sane Legem ipsimet ferre non potuerunt. 2.° Si lex dicitur data non immediate a Deo sed ab angelis, tum non unus erit mediator, Moyses, sed duo, angelus et Moyses: attamen nonnisi de uno loquitur Apostolus, v. 20. Ceteroqui quaestionem de *Theophaniis* dedita opera in peculiari disputatione exposuimus, ad calcem Comm. nostri in Act. Ap. (Steenkiste. Comm. in Epist. ad *Gal.* 3. 19). »

tur, quae vere *pondus* sunt, quod, ut aiebat Petrus (Act. 15. 10) « neque patres nostri, neque nos portare potuimus »; verum Christi doctrina « iugum suave », « onus leve » his successit.

g) Praeter *legem scriptam* Hebraei *legem oralem* habebant, quae complectebatur multa quae Moyses ore ipsis tradiderat, vel Synedria decreverant, vel doctores interpretati fuerant. Cum autem multa Moysi falso tribuerentur, Christus Pharisaeos reprehendit, discrimen ponens inter *traditionem hominum* et *traditionem vestram* (Matth. 15. 9; Marc. 7. 7, 9).

ANNOTATIO.

De *Thalmude* (תלמוד), qui liber *legem oralem* complectitur, haec nota, quae exscribimus ex opere D. Ehrmann, cui titulus: *Storia degli Israeliti* etc. Trieste 1872. pag. 148 e segg.:

« La *Misnà* (מִשְׁנָה, gr. δευτέρωσις = *secunda lex*) è una raccolta di definizioni delle leggi religiose del Giudaismo. Già Akibà ed altri dottori ne avevano fatto anteriormente (ann. 81 p. Ch. n.) minori raccolte, di cui certamente usufruì Ieudà Annassì, ed è detto a questo riguardo redattore della *Misnà* . . . . . »

« La *Misnà* dividesi in sei ordini *(Sedarim)*, ogni ordine in trattati *(Massachtot)*, ogni trattato in capi *(Perakim)*, ogni capo in paragrafi (*Misnà* nel senso più ristretto). I titoli degli ordini sono: *Zeraim* (leggi agricole), *Moëd* (leggi sulle feste), *Nascim* (leggi matrimoniali), *Nezikin* (leggi civili e criminali), *Kodascim* (sacrifizî), *Taarot* (leggi di purificazione). »

« In principio del quarto secolo fu redatto il *Talmud gerosolimitano,* il quale commenta la *Misnà* secondo i suoi ordini, e cita le opinioni ed i pareri degli *Emoraim* (commentatori interpreti). Il *Talmud gerosolimitano,* la redazione del quale è attribuita a Iohhanan, scolaro di Ieudà Annassì, esiste soltanto sopra i quattro primi ordini della *Misnà* . . . . . »

« Nell'anno 390, Ascè, distinto per dottrina, virtù e ricchezza, si diede a redigere il *Talmud babilonese*, il quale, attenendosi all'ordine della *Misnà,* non solo commenta questa con prolisse discussioni dialettiche, ma accoglie altresì molte cose, che non riguardano propriamente la materia d'insegnamento. Il *Talmud* è detto pure *Ghemarà* (גמרה, gr. τελείωσις = *perfectio,* che contiene i commenti rabbinici della *Misnà) :* la parte *rituale (Alachà),* tratta estesamente anche delle leggi divenute impraticabili dopo la distruzione del tempio; la parte *non rituale (Agadà),* contiene narrazioni, leggende, allegorie, proverbi, regole di vita sociale, dottrine morali e sentenze..... La redazione del *Talmud,* intorno alla quale Ascè dicesi aver lavorato 60 anni, fu continuata da suo figlio Mar e dal dotto Maremar, e fu chiusa al principio del sesto secolo. Essa non estendevasi a tutti i trattati della *Misnà ;* di 63 trattati soltanto 36 hanno un commentario talmudico. Del primo e sesto ordine della *Misnà* un solo trattato per ognuno ha commento talmudico. La lingua del *Talmud* è un misto di ebraico e di siriaco, ha proprie forme e molti elementi di lingue straniere. L'ebraismo è persino di molto inferiore a quello della *Misnà.* Il *Talmud gerosolimitano* ha il colorito siriaco. » Scatet *Thalmud* fabellis

et absurdis. Vide ad rem *Xystum Senensem, Biblioth. Sanct.*, lib. II. Editio optima *Tal. babyl.* procurata est a *Bombergio*, Venetiis, 1520..

Quid significant *Masorà* et *Qabbalà?*

Masorà (מסורה = *traditio*) artem criticam continet, qua Iudaei utebantur, ad S. Scripturae puritatem, secundum Patrum traditionem, servandam. Hinc *Masoretae* (saec. VI p. Ch. n.) versus, verba et litteras numeraverunt, varias lectiones notarunt, signa orthographica, accentus et puncta vocalia addidere.

Qabbalà (קבלה), id est *receptio*, ea ars est, qua, ex placitis inter maiores receptis, in S. Scriptura, Iudaei mysticos sensus detegere nituntur. *Qabbalà* stat praecipue in numerica litterarum vi in earumque conlocatione.

3. DE IUDICIBUS, IUDICIIS ET POENIS.

a) Iudices.

Ex Lege mosaica, in singulis urbibus et pagis iudices constituti sunt; appellationes vero et maiores causae ad reipublicae rectorem, vel ad summum Sacerdotem, vel ad regem deferebantur, qui, in rebus difficilioribus, Summi Sacerdotis sententiam rogasse videtur. Post reditum a captivitate babylonica, iterum iudices inferiores et superiores creati sunt, donec, Machabaeorum temporibus tribunal supremum institutum èst, cui *Synedrium* nomen fuit, quodque primum memoratur sub Hyrcano II. Tria ideo tribunalia auctores distinguunt: alterum *(din mammona)*, quod de causis pecuniariis sententiam ferebat; alterum *(din mispat)* de causis gravioribus et capitis sententia; tertium *Sanhedrim*,

ad quod potissimum spectabat de delictis contra religionem perpetratis iudicare. Primum, quod tribus iudicibus constabat, illis in urbibus erat ubi numerus patrumfamilias 120 non excedebat; alterum, quod viginti et tribus iudicibus constabat, in maioribus civitatibus institutum erat; *Synedrium* Hierosolymae.

Synedrium (gr. συνέδριον, hebr. *Sanhedrin)* constabat 72 iudicibus; quo numero *Praeses (Nasì)* et *Summus Sacerdos (Ab beth din = Pater Synedrii)* continetur.

Tres erant adsessorum classes: I ἀρχιερέων, id est *Principum sacerdotum,* quorum alii sacerdotes erant summo sacerdotio functi, alii principes 24 classium sacerdotalium; II πρεσβυτέρων, id est seniorum vel capitum familiarum; III γραμματέων, id est scribarum sive eruditorum. Insuper aderant *notarii* et *apparitores.*

Ex *Thalmude* liquet, iudices in orbem semicircularem in pavimento, tapete strato, vel in culcitis, cruribus plexis, orientalium more, consedisse, ita ut Praeses cum duobus Propraesidibus — quorum primus, Summus Sacerdos, ad dexteram Praesidis sedebat — medium locum teneret. Locus consessus utrum in Templo, an in Sion castello Templum versus (βουλευτήριον) fuerit, quaestio adhuc sub iudice est (I. Fl. *de Bello Iud.* V. 4, 2; VI. 6, 3). Certum est in Christi iudicio adsessores in Summi Sacerdotis palatium praepropere convenisse.

Initio *Synedrium* plena potestate gaudebat, immo ipsi maiora crimina, uti docet *Misnà,* iudicanda reservabantur. Ex. gr.: apostasia totius alicuius tribus vel urbis, capitales causae, crimen de simulata prophetia, etc. At, aetate Christi, Romani

Synedrii potestati limites imposuerunt, atque capitalia iudicia, 40 annis ante Templi excidium, ab eius iurisdictione exempta fuisse traditum est.

ANNOTATIO.

Cf. *J. E. Rau* — Diatribe de syn. magna, 1726; *Buxtorf* — Tiberias, c. 10, 11; *Langeu* — Das jüd. Synedrium in Tüb. Quartlsch. 1862, 411, seq.

b) **Iudicia.**

Causae *iudiciales*, mane, ad portas urbium, quo maximus erat populi concursus, supremo iudicio excepto, quod habebatur ad locum sanctum, agèbantur. Ne autem capitalia iudicia noctu, sabbato, vel diebus festis, neve eadem die examen fiat et sententia lata exsecutioni mandetur, Doctores Thalmudici interdicunt. Quae omnia in tumultuario Christi iudicio, ut patet, neglecta fuere.

Quod attinet ad *iudiciorum* formam, quae summaria fuit, haec notabimus:

α) Actor et reus se in iudicio sistebant ad examen patrati criminis subeundum, quod notarius scripto mandabat (Deut. 25. 1).

β) Reus stabat ad sinistram actoris, qui vocabatur שטן, i. e. *adversarius* (Ps. 108. 6; Zach. 3. 1).

γ) Adhibebantur duo vel tres testes iurati; at, in delictis capitalibus, mulieres, servi et propinqui excludebantur (Deut. 17. 1; Matth. 26. 59).

δ) Constat et sortem sacram, per *Urim* et *Thummim*, ad reos detegendos, a summo Sacerdote fuisse adhibitam (I Sam. 14).

ε) Sententia, post examen, exsecutioni mandabatur.

c) Poenae.

Poenae, aliae *maiores,* aliae *minores,* pro delictis, infligebantur.

Poenae maiores erant: lapidatio, ignis, gladius. Ubi de reo morte plectendo sermo est, nil de supplicii genere, in SS. Litteris, additur; quod Rabbini semper de *strangulatione* intelligunt. *Strangulationis* semel expressa mentio est in III Reg. 20. 31.

Lapidatio, poena omnium gravissima, quae ferebatur in reos graviorum criminum contra religionem et in adulteros, in *Misnà* describitur: « Locus lapidationis altus erat geminam staturam hominis. Ex testibus unus reum inde detrudebat, ita ut in lumbos caderet. Si hoc casu mortuus esset, poenas luerat, si vero non, alter testium sustollebat lapidem eumque in pectus eius dabat; quod si adhuc spiraret, omnis populus lapidibus eum obruebat (*Sanhedrin.* VI, 3, 4). »

Ignis combustione plectebantur qui filiam eiusque matrem uxores duxerat, et filia Sacerdotis, meretricio foedata.

Etsi tantummodo gentes cananaeae delendae essent « in ore gladii », tamen, postremis temporibus, Herodes eiusque successores non raro de *decollatione* sententiam tulere.

Quod spectat ad *strangulationem,* haec poena ita infligebatur, ut cadavera non remanerent suspensa nisi usque ad vesperas, cum maledictus esset qui in ligno penderet (Deut. 21. 22).

Quid autem de *crucifixione?*

De hoc crudelissimo teterrimoque supplicio, a Romanis in Iudaeam inducto, quod in Passione

Dominica principem locum habet, iuvat collegisse quae, ad rem, G. Rosadi, eruditissimus vir, scribit: « Questo strumento terribile e crudele, quale lo chiamò l' Oratore (Verr. V. 64), era una maniera di pena del tutto ignota alla tradizione e alla legge giudea. In tutta la storia ebraica non si incontra la croce che una volta presso uno degli ultimi Asmonei per un suo sfogo di collera particolare. Era invece comune ad altri popoli antichi, agli Egizi, ai Persi, ai Fenici, ai Cartaginesi, ai Greci e ai Romani. Questi, nella stessa Siria, ne fecero uso largo e disumano. La loro legge traeva l'origine della pena dalla vendetta intesa come titolo e mezzo di retribuzione e poneva il fondamento attuale della ragione di punire nei due connessi principî dell' emenda e dell' intimidazione. . . . . . . Aveva origine dall' uso antico di appendere i rei a un albero che si chiamava infelice *(arbor infelix)*; tanto che si chiamò croce qualunque supplizio e cruciario ogni furfante degno di morte. Talvolta si adoperarono gli stessi alberi per formare delle croci. Dopo il primo uso dell' albero infelice si adottò quello della forca, che si chiamò anche patibolo: più tardi, quando Costantino abolì la croce, si tornò all' uso della forca. . . . . »

« Il crocifisso agonizza a lungo, un giorno e due e tre, nudo, esposto alle ingiurie del cielo e degli uomini, inchiodato e contratto sul legno, straziato nelle piaghe delle mani dal peso di se stesso, tormentato dal disagio che non dà schermo al dolore, immobile, divorato dalla febbre, infocato dalla sete, martoriato dalla piena e intatta coscienza de' suoi patimenti, che vanisce soltanto con la vita. »

« Il crudele strumento era composto in più

modi. Ora una trave maggiore era immessa in senso orizzontale in un' altra minore: e la croce si diceva *immissa* o *capitata*. Ora la trave orizzontale era sovrapposta su l' estremità della verticale, in forma di T: e la croce era *summissa* o *commissa*. Ora le due travi si inserivano a X; e la croce era *decussata*. Ora si adoperava soltanto una trave o un palo, lungo il quale era legato o inchiodato con le braccia raccolte al di sopra della testa il condannato: e allora lo strumento si diceva *simplex*. La più comune nell' uso romano e però indicata anche con questo nome era la croce della prima maniera; e tale fu assai probabilmente quella toccata a Gesù. Si può desumerlo dalla notizia che riferiremo, essersi al di sopra della sua testa apposto un cartello su cui era ripetuta tre volte un' iscrizione. »

« In alcune croci si applicava a mezzo della trave verticale un ceppo su cui il condannato poteva posare, soffrendo forse meno ma più a lungo; ceppo che Giustino chiama *cornu* e Tertulliano *staticulum* o *sedilis excessus*. L' arte ha quasi sempre trascurato questo particolare che l' esperienza degli anatomisti non ritiene necessario a sostenere il corpo d' un uómo normale crocifisso ed a risparmiare lo strappamento del tessuto palmare delle mani; ma qualche testo latino, che accenna al sedere dei condannati sulla croce, denota l' uso per vero. Certo se ne dovette fare a meno tutte le volte che il crocifisso si legò attorno al legno dopo avercelo inchiodato. Quell' appoggio, fatto a modo di bietta, che si immagina posto sotto i piedi del condannato, è estraneo, ch' io sappia, alla letteratura e alla iconografia antica (*G. Rosadi — Il*

Processo di Gesù — Firenze, 1904, pag. 415 e segg.). »

Haec de *maioribus*, nunc de *minoribus* poenis, quae sunt: talio, flagellatio, carcer, multa.

Talionis poena irrogabatur reo quidquid ipse in alterum commiserat: Oculum pro oculo, dente pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. » (Ex. 21. 24).

Flagellatio, qua reus, coram iudice, quadraginta ictibus ad summum caedebatur, secundum Thalmudicos doctores, ita peragebatur: « Reus, vestibus usque ad cingulum nudatus, manibus alligabatur columnae adeo parum altae, ut ipse incurvaretur. Deinde flagello tribus loris bubulis composito super dorsum et, ut nonnulli volunt, etiam super pectus verberabatur. Unus lictor a retro positus verbera dabat, alter ea numerabat, iudices spectabant. Quum flagellum tribus loris constaret, unus ictus pro tribus reputabatur. Idcirco vetitum erat ultra 13, quod 39 efformabant, progredi, ne numerus 40 excederetur. Hoc supplicio Paulus quinquies laceratus fuit. Multo autem crudelior erat flagellatio romana, quam Christus passus est. Nullo enim ictuum numero restringebatur. Rabbini flagellatione in synagogis puniebant omnes legis caeremonialis transgressiones, quae vel excommunicatione vel alia poena non vindicabantur. Enumerant autem centum sexaginta sex huiusmodi transgressiones (Lamy — Op. cit. I. pag. 339, ex *Misnà, Maccoth*, III. 1. seqq).»

Carceris mentio bis occurrit in SS. Litteris (Lev. 24. 12 et Num. 15. 34). Hebraei enim, quos penes celerrima iustitiae administratio erat, carceribus non indigebant.

Lex, ut in furto, non solum rei ablatae restitu-

tionem praecipiebat, sed, pro delictis, *multas pecuniarias* reis imponebat; quarum aliae a Lege ipsa, aliae ad aestimationem arbitri, aliae ad arbitrium hominis laesi statuebantur (Ex. 20. 5, 17; 22. 1-9; Lev. 6. 1-6; Num. 5. 7).

ANNOTATIO.

De homicidii vindicta — α) Si homicidii auctor erat ignotus, tunc Sacerdotes et seniores proximae urbis, iuvencum, non iugo domitum, ad flumen adductum mactabant; cumque sanguis eius in aquas descendisset, manus lavabant, Deum orantes, ne quis innocens culparetur. β) Qui inopinus et praeter intentionem, aliquem occidisset, debebat confugere in unam e sex urbibus *Refugii*; quarum tres trans et tres cis Iordanem Palaestinam aequales in partes dividebant. Tunc, si culpa detecta fuisset, reus occisi propinquo tradebatur; sin minus, occisor ibi commorari iubebatur usque ad summi Pontificis mortem. Contra, si inde exisset, interfici poterat ab occisi cognato.

Restat ut verbum addamus de quibusdam *excommunicationibus*, quae apud Iudaeos recentiores in usu fuerunt. Hae tres sunt: α) *levissima* (נדוי), id est separatio a Synagoga et a consortio Iudaeorum, uxoris et domesticorum, ad quatuor cubitos, per triginta dies; β) *gravior*, id est *anathema* (חרם) cum imprecationibus in coetu decem virorum; quod reum a communione Iudaeorum excludit, data ei tantum victualia emendi facultate; γ) *gravissima* (שמתא), quae est solemnis et integra exclusio ab omni Iudaeorum communione, ita ut reus Dei iudicio relinquatur.

4. RES MILITARIS.

Militiae origo ducenda est ex quo Hebraei ab Aegypto egressi sunt. Prima populi conscriptio, id est eorum, qui ad arma ferenda idonei erant, facta est anno secundo post egressum ab Aegypto (*Num.* 1. 1-54); altera anno quadragesimo. Quae conscriptiones, imminente bello, a tribuum principibus per genealogos curabantur. Davidis temporibus, per militares praefectus conscriptio peracta est, quo tempore ipsi Davidi consilium fuisse videtur exercitum, quem *permanentem* vocant, constituendi. Haec populi conscribendi ratio, sub sequentibus quoque regibus, obtinuit.

Itaque, imminente bello, genealogi militum delectum curabant. Tunc autem militia vacabant: α) qui domum aedificaverant, at nondum incoluerant; β) qui vineam plantaverant, at nondum fructus perceperant; γ) qui uxorem sibi desponsatam nondum acceperant, aut annum cum ea nondum vixerant; δ) timidi, ne fratrum suorum animos deiicerent.

Exercitus peditibus, equitibus et bellicis curribus constabat. Rursum *pedites* dividebantur in *velites,* qui eminus, et *hastatos,* qui comminus dimicabant. Usque a Moysis temporibus, totus exercitus divisus fuit in manipulos et turmas 10, 50, 100, 1000 virorum, quibus praeerant decuriones, quinquagenarii, centuriones, chiliarchae et duces. David autem exercitum divisit in duodecim agmina, quorum singula 2400 virorum complectebantur. Salomon et alii Iudae reges equitum curruumque bellicorum numerum auxere.

Romani milites, quorum N. T. saepe meminit, dividebantur in *legiones; legio* in decem *cohortes; cohors* in tres *manipulos; manipulus* in duas *centurias. Cohors,* plus minusve, sexcentos homines numerabat.

Arma, alia ad se tegendum, alia ad petendum hostem *(tela)* erant. *Prioris generis: α) clypeus* (מגן), vel ligneus, vel taurinis pellibus, raro aere contextus; β) *galea* (קובע), gr. περικεφάλαιον), corio vel laminis aeneis obducta, quae caput tegebat; γ) *lorica seu thorax* (סריון, gr. θώραξ), squamis aereis contexta, quae plerumque duabus partibus constabat; quarum altera pectus et ventrem, altera terga tegebat et fibulis utrinque iungebantur. *Posterioris generis: α) gladius* (חרב), qui cingulo suspendebatur; β) *hasta* (רמח), id est pertica lignea, neque 11 cubitis brevior, neque 24 longior, cuspide ferrea munita; γ) *iacula* (חנית), id est breviores lanceae, quae in hostes iaciebantur; δ) *arcus* (קשת), vel lignei, vel aerei ad *sagittas* emittendas, quae pharetra gestabantur; ε) *funda* (קלע), armorum antiquissima, qua Iudicum temporibus viri Gabaa « sic ad certum lapides iaciebant ut capillum quoque possent percutere (Iud. 20. 16): »

Alia instrumenta bellica (arietes, tormenta etc.) Regum aetate usuvenerunt, et urbes moenibus, vallis turribusque munitas, et vexilla et signa, sicuti et ceterae gentes, Hebraei habuere.

Clangentibus tubis, proelio initium erat: *Ludi gymnastici* tantummodo sub Antiocho Epiphane haberi coepti sunt.

De iure belli Lex mosaica haec praecipiebat: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit et*

aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. Sin autem foedus inire noluerit, et coeperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus et infantibus, iumentis et ceteris, quae in civitate sunt. Omnem praedam exercitui divides. Sic facies cunctis civitatibus quae a te procul valde sunt, et non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus, quae dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere: sed interficies in ore gladii: Hethaeum videlicet et Amorrhaeum et Chananaeum, Pherezaeum et Hevaeum et Iebusaeum, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus: ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis: et peccetis in Dominum Deum vestrum (*Deut.* 20. 10-18).

Obsidione durante, vetuit Moyses, ne Hebraei arbores frugiferas succiderent; ceteras arbores, quae instrumentis bellicis parandis opus essent, succidere permisit.





III.

Antiquitates sacrae





III.

Antiquitates sacrae.

Hac postrema parte; de iis, quae externi cultus formam attingunt, agemus, i. e. de *locis sacris*, de *temporibus sacris*, de *personis sacris*, de *rebus sacris*.

I. DE LOCIS SACRIS.

Huc tria spectant: *Tabernaculum*, *Templum*, *Synagogae:*

a) Tabernaculum.

Pro certo est, Patriarchas, diversis locis, altaria exstruxisse et Deo sacrificia obtulisse; sed id, privata, non publica auctoritate egisse. Moysi tantum, post egressum e terra Aegypti, imperavit Deus, ut in Tabernaculo, tamquam in templo portatili, sacrificia ceterique religionis ritus perficerentur: *Qui obtulerit holocaustum sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam ut offeratur Domino, interibit de populo suo* (Lev. 17. 8-9). Et Deut. 12. 13-14: *Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus.* Quamobrem *locis*

excelsis[1] vetuit Deus sacrificia fieri, quod id evidentissimum idololatriae esset indicium (Ex. 34, 13). Si autem Prophetae aliter, interdum, se gesserunt, id Dei instinctu egisse putandum est.

Tabernaculum variis nominibus fuit appellatum: *tentorium* (אהל), *habitaculum* (משכן), *sanctuarium* (מקדש), *domus* (הבית), *habitaculum gloriae Iahvè* (משכן כבוד יהוה), *tentorium Iahvè* (אהל יהוה), *tentorium congregationis* (אהל מועד) et *palatium* (היכל).

Tabernaculum, mobile et portatile, in mediis castris erectum (quae castra constabant ex 12 tribubus, quibus praeerant quatuor tribus primariae: Iudae, Ruben, Ephraim et Dan[2]), erat formae quadratae, longit. 30 cub. ab occidente ad orientem, et latit. 10 cub. ab aquilone ad austrum. Constabat ex pellibus et velis, et ex ligno *setim (acacia)*, cuius sectae tabulae, inauratae aeneisque basibus sustentatae, parietes efformabant. Tabulae, aeneis

1) « Patriarchae, deficiente speciali cultus loco, libenter in locis, ubi Deus eis apparuerat, praeprimis in collibus et montibus sacrificia obtulerant. Tabernaculo sacro erecto, vetitum erat Israëlitis, in excelsis (*Bamoth*) altaria aedificare et Deo sacrificia offerre, quia gentiles ibi diis suis libenter sacrificare solebant, et quidem ad evitandum seductionis periculum. Licet Deus comminatus fuisset, se excelsa eorum destructurum esse (Lev. 26. 30), tamen Israëlitae etiam postquam templum Hierosolymae est erectum, a cultu excelsorum non desistebant (Zschokke, op. c. pag. 166, 2) ».

2) « Doctores hebraei et commentariorum scriptores ex traditione docent tribum Iudae figuratam fuisse per signum *leonis*, Ruben *humanae faciei*, Ephraim *bovis*, Dan *aquilae cum serpente*, quod lucem afferre potest prophetis intelligendis (*Mellini* — Op. cit. II, pag. 83). »

anulis, quibus vectes insererentur, inter se cohaerebant: ita *Tabernaculum,* membratim solutum, facile convasari poterat, quum castra moverentur, Levitis hoc in munus incumbentibus. Tegebatur quatuor operimentis: primum, seu interius, erat ex bysso; alterum ex pilis caprinis; tertium ex pellibus arietum rubro colore illitis; quartum, seu exterius, ex pellibus ianthinis. Ad latus orientale patebat ingressus, sine valvis, tantum velo clausus, quod pendebat ex trabe, quinque columnis sustentata usque ad medias columnas.

Tres erant *Tabernaculi* partes: *Atrium, Sanctum, Sancta Sanctorum.*

In medio *Atrio,* quod locus erat subdialis, 100 cub. longus, 50 cub. latus, velis, ut muro, a circumiacentibus castris seiunctus, stabat *Tabernaculum.* Prima *Atrii* pars omnibus Israëlitis, sacrificiorum tempore, patebat; altera solis Sacerdotibus. Praeterea aderant: α) altare *aeneum,* sive pro *holocaustis* (מזבח), forma quadratum, quinque cub. longum, totidem latum et tres cub. altum, ex lignis acaciarum confectum, quae ligna laminis aeneis erant obducta; cuiusque quatuor anguli cornuum instar eminebant. Altaris pars superior, humo, ad ignem gerendum, replebatur; ascensus, in parte meridionali, non per gradus, quod prohibitum erat, sed, per clivum ex terra aggestum, fiebat. Omnia altaris utensilia aenea itemque vectes, quibus gestabatur, laminis aeneis erant obducti; β) *labrum aeneum* (כיור), aqua plenum, inter *altare holocausti* et fores *Tabernaculi,* ad ablutionem Sacerdotum, qui, antequam sacra munia obirent, ibi manus et pedes lavabant. Docet tamen Maimonides, in ipso *labro* Sacerdotes pedes lavare non consue-

visse, sed aquam, inde demissam in aliud vas infra positum, ad lotionem adhibuisse.

In *Sancto* sive *Sanctuario,* 20 cub. longo et 10 cub. lato, in quod solis Sacerdotibus ingredi licebat, erant; α) *Mensa panum propositionis* (לחם פנים, gr. προσώπου = *faciei* vel προδόσεως). In hac mensa, duobus cub. longa, cubito lata, cub. cum dimidio alta, ex lignis *setim* aureis laminis obductis confecta, aureo limbo cincta, quatuor pedibus conicis sustentata anulisque, ad portandum, munita, imponebantur 12 panes azymi (quod numerum 12 tribuum Israël figurabat), singulis Sabbatis a Sacerdotibus renovandi. Sita erat haec mensa ad latus septemtrionale contra candelabrum. β) *Candelabrum aureum,* (מנורה) septem lucernas habens oleo olivae plenas, quarum tres interdiu, noctu autem omnes ardebant. Mane et vespere Sacerdos has lampades mundabat, sordes in vase aureo deponens. γ) *Altare thymiamatis,* sive *incensi* (מזבח מקטר). Hoc altare, forma quadratum, unum cub. longum, unum latum et duos cub. altum dicebatur *aureum,* quia laminis aureis erat obductum. Superficies eius cincta erat limbo seu corona; ad quatuor angulos quatuor cornua eminebant; ad duo latera anuli item aurei, quibus vectes ad portandum traiicerentur. In hoc altari, quotidie, mane et vespere, Sacerdotes thus adolebant[1].

1) Quaestio est de loco in quo situm erat *altare incensi.* Ex verbis Ex. 30. 6 ante velum, quo *Sanctum* a *Sancto Sanctorum* separabatur, situm fuisse videtur. Eumdem locum indicant Iosephus et Philo. Quod quidem certum videtur ex eo quod sacerdotes quotidie illuc ad thus adolendum ingrediebantur, quum ingressus in *Sanctum*

Sanctum Sanctorum, id est posterior *Tabernaculi* pars, 10 cub. longa et totidem lata, continebat *Arcam Foederis* seu *testimonii* (העדות) cuius forma in Ex. 25. 10 his verbis describitur: *Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo habeat duos et semis cubitos: latitudo cubitum et dimidium: altitudo similiter cubitum ac semissem. Et deaurabis eam intus et foris: faciesque supra coronam auream per circuitum, et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcae angulos: duo circuli in latere uno, et duo in altero. Arca* operiebatur *operculo* aureo, quod Vulgata *Propitiatorium* vel *Oraculum* appellat, cum inde Deus Israëlitas alloqueretur. *Operculo* duo Cherubim, aurei, hinc inde alter in alterum conversi, insidebant, alis illud tegentes sicque quemdam Dei thronum effingentes. In *Arca* servabantur: duae Legis tabulae, virga Aaron, quae floruerat, et mannae vas[1].

Sanctorum soli Pontifici reservaretur. Contra Origenes et S. Augustinus, ex verbis D. Pauli ad *Hebr.* 9. 3-4, illud inter velum et *arcam foederis* collocatum esse senserunt. Vide ad rem Lamy, op. cit. pag. 347 in annot.

1) « Hoc diserte asserit S. Paulus ad *Hebr.* IX, 4. E contrario III Reg. VIII, 9, asseritur in *arca nihil fuisse praeter duas tabulas Legis.* Utraque assertio conciliatur distinguendo tempora. Loquitur enim Apostolus de tempore Moysis, quo arca praeter tabulas Legis continebat vas mannae et virgam Aaronis, ut insinuatur in Ex. XVI, 34, et in Num. XVII, 25, ubi haec reposita dicuntur coram *testimonio* (ואל פני העדת), id est coram tabulis Legis. Salomonis autem tempore solas Legis tabulas arca continebat. Cfr. Beelen, *Grammat. gr. nov. Test.* p. 153 (Ex Lamy, Op. cit. p. 348, in adnot.). »

Quod attinet ad *Tabernaculum* et *Arcam Foederis*, et haec, quae sequuntur, ex Mellini (Op. cit. II, p. 33) oppor-

b) **Templum.**

Uti accepimus ex II Paral. 3. 5, David, qui de Templo aedificando consilium ceperat, id, quod tot tantisque bellis multum sanguinis effudisset, exsecutioni mandare a Deo prohibitus est. Nihilominus materiam collegit Templique delineationem Salomoni, filio suo, ostendit, qui Dei numine, septem annorum spatio, molem adeo insignem in monte Moria excitandam curavit.

Incredibile materiae pretium, operis magnitudinem, artificum studium et industriam omnes norunt. Ut quis tamen Salomonici Templi notionem sibi mente fingat, hoc animadvertat: Salomonem, quoad structuram et delineationem, generatim,

tunum afferre ducimus: « Multifariam vero Deus tabernaculo aderat ac praecipue respondens ex Arca Summo Pontifici consulenti et ignem e caelo mittens in altare aeneum ad victimas absumendas. De igne autem e caelo demisso haec habe. Extraordinario hoc signo indicavit quidem Deus grata se habere sacrificia, ut Aaronis (Lev. IX, 24), Gedeonis (Iud. VI, 21), Manue (Iud. XIII, 20), Eliae (3 Reg. XVIII, 38), Davidis (1 Paral. XXI, 26), Salomonis (2. Paral. VII. 1), Nehemiae (2. Mach. I, 32); quod vero lege stabili et ordinaria eveniebat, hoc fuit. Nempe, *egresso igne a Domino* (Lev. IX. 24), victimae Aaronis consumptae sunt. Deinde ignis hic perpetuo arsit, ut creditur, altari holocaustorum, curantibus Sacerdotibus, usque ad aedificationem Templi Salomonis, cuius occasione novus *ignis descendit de caelo, et devoravit holocausta et victimas* (2. Paral. VII. 1.). At, devastantibus Iudaeam Chaldaeis, ignis sacer sepultus fuit; qui longo post tempore frustra quaesitus est, eiusque loco inventa aqua crassa. Ex hac rursus sacer ignis Dei manu eductus est in novo Templo (2. Mach. I, 18; XI. 10) et inserviit usque ad Antiochum Epiphanem. Vide commentatores et Calmet praesertim in Lev. IX. 24. »

Templo Tabernaculum expressisse: in Templo enim eaedem partes, eademque sacra instrumenta atque in Tabernaculo. Quare pauca discrimina hic erunt notanda.

α) *Templi situs.* Anno 592 post egressum ab Aegypto, Salomon in monte Moria Templo aedificando initium dedit. Moriae autem vertex, cum satis non esset capiendis Templi aedificiis et atriis, Salomon, muro e lapidibus quadratis totum montem cinxit et vacua intervalla ita terra complevit, ut in vertice planities quadrata unius stadii pateret. Muri circuitus erat quatuor stadiorum (870 m.), eiusque altitudo orientem versus 400 cub. (224 m.), quae area postea iterum dilatata fuit.

ANNOTATIO.

« Iosephus (*Antiqq.* I. XV, c. XI, n. 3) hos muros, quorum vestigia adhuc supersunt, ita describit: » Huius verticem Salomon, qui primus in nos regnavit, Dei instinctu, muro magni operis circumdedit. Radices quoque eius muro cinxit, quas circum erat profunda vallis versus austrum. Hic murus constat saxis grandibus, plumbo inter se vinctis, complectens interius spatium et in profundum descendens, ut miranda sit magnitudo simul et altitudo structurae, forma quadrangulari factae. Saxorum enim magnitudo a fronte est conspicua, interiora vero ferro firmata compagines in omne aevum indivulsas habent. Opere autem ita continuato ut summitati collis iungeretur, quum verticem illius aliquantisper laevigasset et cavitates intra murum comprehensas replevisset, superficiei partibus quae forte eminerent, totum aequavit et ad planum redegit.

Atque universum hoc septum erat quatuor stadiorum in circuitu, unoquoque angulo in longitudinem stadium complectente. Interius deinde ipsum verticem ambiit alius murus lapideus, ad orientale quidem latus duplicem sustinens porticum pari cum muro longitudine, spectantem ad ianuas templi, quod ad medium eius constitit. Hanc multi priorum regum adornaverant. » Et lib. XX, c. IX, n. 7 loquens de porticu orientali ait: « Erat autem porticus haec exterioris templi, profundae valli imminens, proinde subnixa *muris quadringentorum cubitorum, et laxis quadratis constructa valde candidis: longitudo quidem cuiusque saxi erat cubitorum viginti, altitudo vero sex, opus Salomonis regis.* » Asserit alibi aream templi postea dilatatam fuisse additione tertii muri. *De bello iud.* VI, 6. »

β) *Atria.* Ambitus montis muro cinctus, in quatuor lateribus porticibus ornatus, dividebatur, in latere orientali, in duo *atria:* atrium exterius, seu *ante domum;* atrium *interius,* seu *sacerdotum.* His in atriis plura aedificia et conclavia annonae, utensilibus et vasis Templi servandis erant; in quibus tamen et Sacerdotes et Levitae, eo tempore quo sacris muneribus fungebantur, habitabant.

γ) *Altaria, vasa et instrumenta sacra. Altare holocausti,* uti in Tabernaculo, sed ex lapidibus non sectis, stabat in *atrio Sacerdotum,* longum et latum 20 cub., altum 10 cub. Vasa et instrumenta sacra multo plura quam in Tabernaculo erant: *labrum aeneum* permagnum, cui *mare aeneum* nomen fuit, opus fusile mirae artis, cuius διάμετρος 10 cub., altitudo 5 cub., circulus 30 cub., quodque 3000 bathorum (ectol. 946) capiebat. Stabat super

12 boves aeneos, quorum terni identidem in aliam orbis plagam oculos convertebant; adde labra minora aenea, variis figuris exornata, quorum singulorum ambitus 4 cub. quaeque 40 bathos in se continebant et abluendis victimarum carnibus inserviebant.

δ) *Vestibulum.* Ab *Atrio Sacerdotum,* per gradus, in *vestibulum Sancti* sive *Sanctuarii* ingressus patebat. *Vestibulum,* turris instar prominens, erat 120 cub. altum, 20 cub. ab aquilone in austrum latum, et 10 cub. ab ortu in occasum longum. Ante eius ianuam, utrimque erecta erat columna aenea, intus cava, cuius altitudo 18 cub. et ambitus 12 cub. Capitulum, 5 cub., decorabant lilia et malogranata. Salomon columnam ad aquilonem *Iachin* (יכין = *stabiliet*) et columnam ad austrum *Booz* (בעז = *robur*) appellavit; quibus nominibus videtur spem, quam fovebat, significare voluisse, id est: fore ut Deus, sacram aedem, ad cuius introitum columnae positae fuerant, stabilem, firmam diuturnamque redderet.

ε) *Aedes sacra.* Patebat in longitudinem 60 cub. ab oriente ad occidentem, 20 cub. in latitudinem et 30 cub. in altitudinem. Eius parietes, ex lapidibus quadratis, asseribus cedrinis, in quibus Cherubim, palmae aliaeque figurae insculptae erant, intus contectae et laminis aureis erant obductae. Arctae fenestrae lucem dabant. In duas autem partes *aedes sacra* dividebatur: in *Sanctum* et *Sanctum Sanctorum* sive *Sanctissimum.*

Sanctum 40 cub. longum erat; *Sanctissimum* vero cub. 20. *Sanctissimi* altitudo, intus. 20 cub. erat; nam desuper cubiculum 10 cub. stabat.

In *Sancto* erant: altare thymiamatis deauratum, decem candelabra aurea, decem mensae deauratae

in quibus 12 panes, 100 scutellae aureae vino plenae et cetera vasa sacra aurea. Valvae *Sancti*, ex lignis oleastri, palmis et floribus ornatae, laminisque aureis obductae, binae erant, quae cardinibus aureis vertebantur. Eodem modo ornata erat porta *Sanctissimi*; utraque ianua aulaeo byssino acu picto erat velata.

In *Sanctissimo* erat *Arca Foederis*, quae ita stabat, ut vectes aulaeum attingerent: ex quo patet fores non fuisse clausas. Arcam penes duo Cherubim, ex lignis oleastri, auro obducti, 10 cub. alti, stabant; quorum quisque alteram alam super arcam ita protendebat, ut in medio se contingerent, et alteram ad parietem usque extendebat.

Difficile est coniectura assequi perfectam Salomonici Templi descriptionem, cum multa, ut patet ex SS. Litteris, desiderentur; quare interpretes, quod ad eius structuram ac delineationem spectat, in diversas abiere sententias. Templum dedicatum fuit anno undecimo regni Salomonici, quo tempore, magna cum pompa, *Arca Foederis* in *Sancto Sanctorum* reposita est. Latiorem Salomonici Templi descriptionem habes in III *Reg.* 6 et 7 ubi et de *Domo Libani.* Templum hoc, quod stetit 423 annos, a Nabuchodonosor cum urbis incendio deletum est (588 a. Ch. n.).

ANNOTATIO.

De Templo Sal. e recentioribus scripsere: *Pailloux,* S. J. 1884; *V. Guérin* — Le temple de Jér. 1881; *O. Wolff.* — Tempel von Jerus. u. seine Maasse, 1887; *C. Schick* — Die Stiftshütte, der T. in Jer. und der Tempelplatz der Jetztzeit. Ber-

lin, 1896; *Revue bibl.* 1892, p. 613 ss.; 1893, p. 90 ss.; 1898, p. 193, ss. etc.

Il palazzo di Salomone. « Il palazzo o castello reale di Salomone aveva proporzioni maggiori di quelle del tempio (55 metri di lunghezza, 27 di larghezza, 16 di elevazione). Un ampio peristilio metteva ad una sala ornata da quarantacinque poderose colonne in legno di cipresso, su quattro linee traversali. Di cipresso erano pure gli architravi e i soffitti; e le mura di pietre da taglio liscie all'esterno. Seguiva una sala simile alla prima, e più lungi gli appartamenti particolari del re, che aderivano al palazzo della moglie di lui . . . Tutto brillava d'oro e d'argento. Dalle pareti della sala del trono pendevano seicento ampi scudi d'oro battuto e trecento di minor dimensione. Al trono d'avorio incrostato d'oro si ascendeva per sei gradini fiancheggiati da dodici leoni, e il sedile medesimo era decorato da due leoni (G. De Castro — Op. cit. pagg. 138, 139). »

Templum secundum, quod Iudaei a Zorobabele appellant, super ruinas Salomonici Templi, post babylonicam captivitatem, anno 515 a. Ch. n. conditum fuit. Verum huic templo deerat *Arca Foederis,* a Jeremia occultata; in eoque erat unum tantum candelabrum unaque mensa aurea. Quamobrem, cum Salomonico templo multo magnificentia inferius esset, Herodes Magnus, paucis annis ante Christum natum, per partes restituit splendidissimumque reddidit. Tria *atria* habuit: *atrium exterius* sive *gentium,* a quo per gradus aditus patebat in *atrium Israëlitarum* (in duas partes divisum, alteram pro viris, alteram pro mulieribus) et hinc in *atrium Sacerdotum,* ubi erat altare *holocausti.*

Atrium gentium porticus, cum triplici vel quadruplici columnarum serie, exornabant. Porta maxima, quae *Speciosa* (θύρα ὡραία) dicebatur, in externo muro orientali erat.

Hoc Templum, in quod Christus ipse ingressus est, Vespasiani et Titi temporibus, anno 70 p. Ch. n., eversum fuit.

Pauca de *Templo Samaritanorum* et de *Templo Aegypti* dicemus: *primum* aedificaverunt Samaritani in monte Garizim prope Sichar (Ioann. 4. 20, 21), anno 330 a. Ch. n., facultate ab Alexandro Magno impetrata. Huic praefuit Manasses, frater Iaddo, Summi Sacerdotis Iudaeorum. Eversum est a Ioanne Hyrcano, sacerdote et principe Iudaeorum, anno 129 a. Ch. n. *Templum Aegypti,* quod illegitimum habitum fuit, anno 150 a. Ch. n., aedificavit *Onias,* Oniae III filius, qui Menelai sive Oniae IV patrui sui morte territus in Aegyptum confugit.

c) Synagogae.

Synagoga (συναγωγή = *congregatio*), quam scriptores originem duxisse tradunt, temporibus captivitatis babylonicae, ex templi defectu, erat Iudaeis domus orationis et doctrinae. Plures fuisse *synagogas,* Apostolorum temporibus, colligitur ex *Act. Apost.* 6. 9.

In *Synagoga,* ad Templi Hierosolymitani formam disposita, erant: *Mensa,* in qua evolvebatur S. Scriptura; ad orientem, *Arca* seu *Armarium,* in quo servabatur volumen *Legis;* innumerae *lucernae.* Mulieres, a viris seiunctae, e contiguo cubiculo, in illam prospiciebant.

Synagogae praeerat *Archisynagogus,* ad quem

rerum temporalium atque spiritualium administratio spectabat. Hunc adiuvabat concilium Seniorum. Ministri inferiores erant: *Scheliàch,* qui communes preces recitabat; *Chazàn,* qui ianuas aperiebat et librum Legis praeparabat; *Targumista,* id est interpres, cuius erat hebraicum textum, qui legebatur, lingua vernacula explanare.

Προσευχαι, oratoria, erant iis in locis, in quibus *Synagogae* deerant.

ANNOTATIO.

De *Synagogis* haec habet Curci, *Op. cit II, pag. 218:* « Erano ai tempi di Cristo le Sinagoghe aule o sale più o meno ampie, dove il popolo si radunava, il Sabbato e le altre feste, a pregare ed udirvi leggere la Scrittura; sopra la quale i più anziani o i più addottrinati parlavano alcune volte ad istruzione degli altri; nè vi aveva alcun apparato religioso, se non fosse un seggio più alto per colui, che doveva parlare a tutti, ed un armadio in fondo, nel quale si conservava, con grande riverenza, la Bibbia. ... esse avevano bensì qualche analogia colle nostre chiese nel nome, perchè *ecclesia* è detta da ἐκκαλέω, *convoco,* e nel fine generico di essere convegni ad intento religioso; ma ne differenziavano sostanzialmente, perchè nelle Sinagoghe non si offeriva sacrifizio, come si fa incessantemente nelle nostre chiese; e pure il sacrifizio, se non è il tutto, è certo l'atto più di tutti proprio e più essenziale della religione. Di queste Sinagoghe al tempo di Cristo, vi avea moltissime nella Palestina; di tal che appena vi era borgata così meschina, che non avesse la sua; i

luoghi più notevoli e le città ne avevano parecchie, e la stessa Gerusalemme, benchè possedesse il tempio, ne noverava più centinaia; dicono che fossero non meno di 480. Anzi essendosi, per quella stagione, sparsi gli Ebrei per tutto l'Oriente, per la Macedonia, per la Grecia, per l'Italia, per l'Asia Minore e per l'Egitto, dove che si trovasse una colonia ebrea, sorgeva al tempo stesso una Sinagoga. Il Signore e poscia i suoi Apostoli si valsero largamente di quella istituzione nazionale, per annunziarvi al loro popolo l'*Evangelo del Regno;* ed era per essi molto acconcia occasione di farlo il trovare convegni già costituiti a fine religioso, e nei quali facilmente da essi si otteneva, e talora era loro offerta la facoltà, ed anzi talora fatta preghiera di parlare alla moltitudine raccolta ed attenta. » Cf. *Revue bibl.* 1892, p. 137, ss.

2. DE TEMPORIBUS SACRIS.

Hoc titulo continentur quae spectant ad dies festos Iudaeorum. Hi autem festorum dies sunt: *a)* in hebdomada: *Sabbatum; b)* in mense: *Neomenia; c)* in anno: *Pascha, Pentecostes, Tabernaculorum.* His adde *festa minora,* id est: *Novi anni civilis, Expiationis, Purim, Iudith, Encaeniorum, Xylophoria, recepti ignis sacri, ob caesum Nicanorem, anni Sabbatici* et *Iubilaris.*

a) Sabbatum.

Singuli hebdomadae dies, quotidiano sacrificio, Deo sacri erant: etenim, mane et vespere, totius gentis nomine, offerendus erat Deo in holocaustum

agnus anniculus, addito ferto et libamine; quod sacrificium *holocaustum perpetuum* nuncupabatur. Tamen summa religione colenda erat dies septima, id est *Sabbatum* (שַׁבָּת, gr. σάββατον, σάββατα), ex quo ceteris quoque diebus festis nomen inditum est. De *Sabbato* sanctificando praeceptum Deus dedit Moysi, his verbis: *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum* (Ex. 20. 8-11; 31. 13-17).» *Sabbatum,* ante Legem Moysi datam, sanctificatum fuisse, constat ex Gen. II. 3: *Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret,* Cfr. et Exod. 16. 24, 30.

Causae quibus Deus *Sabbatum* instituit, sunt: α) ut semel in hebdomada homines impensius divino cultui vacarent Deique beneficia recolerent; β) ut hominibus et iumentis requies daretur; γ) fortasse etiam in memoriam populi Dei a servitute Aegyptiorum liberati.

In *Sabbato* alia, ex consuetudine, ut videtur, erant Hebraeis agenda, alia omittenda: tenebantur convenire ad S. Scripturae lectionem audiendam, et ita ab omni opere servili abstinere, ut ne cibos quidem pararent, neque ignem accenderent, neque iter facerent quaestus causa, neque ultra mille passus ambularent neque arma sumerent ad di-

micandum. Omnia ideo quae ad vitam necessaria erant, pridie (*Parasceve, παρασκευή = praeparatio)* parabantur. In eos qui *Sabbatum* violabant lapidationis poena lata erat.

b) Neomenia.

Neomeniae (ראשי חדשים חדש), sive Kalendae mensium, quamquam non erant festi dies, cum Hebraei (excepta Neomenia Thishri) ab operibus servilibus non prohiberentur, tamen solemniter tubis nuntiabantur, atque his diebus sacrificia quaedam ex Lege fieri praecipiebantur: *In Kalendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos* (Num. 28. 11). Id egit Deus, ut populum suum ab ethnicorum superstitione averteret, quibus mos fuit novae lunae sacrificare.

c) Pascha.

In *Paschate,* uti et in festo Tabernaculorum et Pentecoste, omnes Hebraei masculi tenebantur Hierosolymam convenire: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum* (Ex. 23; et *Deut.* 16. 16).

Pascha (פסח = *Phase, transitus*) institutum fuit in grati animi significationem pro liberatione a servitute Aegypti, in memoriam *transitus Angeli,* qui Aegyptiorum primogenitos interfecit, Hebraeis tamen parcens, quorum postes agni sanguine

illitae fuerant, et etiam ut novae messis primitias Deo offerrentur.

Septem dies hoc festum durabat, id est a die 15 ad diem 21 mensis *Nisan,* quo tempore annus *sacer* incipiebat. Die prima et ultima Hebraei ab omni opere, praeter quam quod a parandis cibis, vacare debebant. Tria autem ad Paschalem solemnitatem praecipue pertinebant: panes azymi, agnus paschalis et manipulus hordei; quae singula breviter explanabimus.

Tota paschali hebdomada Hebraei panes *azymos,* id est non fermento imbutos, edebant; quo nomine Pascha et *Festum Azymorum* dicebatur. Prima dies *Azymorum* erat XV; sed, cum Hebraei uti deberent pane azymo a vespere diei XIV, cumque festa hebraica inciperent a vespere diei antecedentis, hanc diem Evangelistae *primam azymorum* appellant.

Die decima paterfamilias agnum tollebat masculum, anniculum, sine macula, qui, die XIV, inter duas illius diei vesperas (בין ערבים), post iuge sacrificium, ante altare mactabatur. Eius sanguinem Sacerdos ad altaris pedes effundebat. Extra Tabernaculum vel Templum non licebat agnum paschalem immolare. Hic agnus, integer, baculis duobus, altero in longum et altero per transversum ad anteriores pedes perfossus et quasi *crucifixus* — quod Christi in Cruce oblati typus fuit — assabatur, et nocte, quae in diem XV vergit, cum pane azymo et oleribus amaris comedebatur. Si familia agno edendo satis non fuisset, vicini advocandi erant. Perpetuo servatum fuit Hebraeis (etsi ad festinationem pertinebat) id, quod olim praeceperat Deus, ne os ullum agni frangerent.

Quod ad *coenae paschalis* ritum spectat, in epitomen cogemus quae ad rem habet Klofutar (*Op. cit.* in *Ioann.* pag. 260 et seqq.):

« Iuxta Rabbinos, multi ritus Coenam Paschalem praecedebant, cui ad minimum interesse debebant decem homines, et in qua bibebantur, etiam ad minimum, quinque pocula vini rubri plerumque aqua mixti. »

« **Prima pars.** Actis, ad *primi calicis sumptionem,* a patrefamilias laudibus et gratiis Deo, bibebat is primum poculum, et post eum reliqui convivae, quo facto, Deum celebrando, manus lavabat. Tunc mensae imponebantur *herbae amarae,* quarum pars in acetum, vel in aquam salsam, intincta comedebatur. Dein afferebantur cibi ad Coenam Paschalem pertinentes, i. e. *panes azymi, puls charoseth* (ex dactylis, ficubus, amygdalis parata et cinnamomo mixta; quae puls in memoriam revocabat graves labores, quos in Aegypto patres peragere debuerant in lateribus conficiendis) et *agnus* et sacrificia *chaciga* (i. e. aliae carnes aliarum victimarum). Paterfamilias, iterum laudibus et gratiis Deo dictis, herbas in pultem intinctas comedebat, idipsum convivis facientibus. »

« **Secunda pars.** Post haec infundebatur alterum poculum, et pater edocebat filium de festi significatione, et deinde *primam partem hymni* (*Hallel;* Ps. 113 et 114) canebat: dein alterum poculum bibebatur. Quo facto, Paterfamilias, iterum lotis manibus, sumebat duos panes: alterum frangebat imponebatque integro, et, gratiis ad panis sumptionem dictis, sumebat partem panis fracti, et, cum illum herbis amaris circumvolvisset, eam intingebat, laudes et grates Deo agens. »

« **Tertia pars.** Dicebantur laudes et grates Deo ad sacrificiorum *chaciga* sumptionem, ex quibus paterfamilias aliquid comedebat; tandem dicebantur laudes Deo ad sumptionem *Agni Paschalis,* ex quo pariter paterfamilias aliquid edebat. Tunc incipiebat coena *Paschalis stricte talis,* in quo *panes* in pultem intincti, carnes sacrificiorum *chaciga,* deinde *Agnus Paschalis* comedebantur. Postea paterfamilias manus lavabat, et, laudibus gratiisque pro sumpto cibo Deo dictis, benedicebat *tertio poculo,* idque bibebat; et, infuso *quarto poculo,* canebatur *altera pars hymni* (*Hallel;* Ps. 115-118). Postremo benedicebatur *quarto poculo,* idque bibebatur, ut et *quintum,* sed non ultra. »

ANNOTATIO.

« Alii, ob locum (I Cor. 10. 16), putant poculum tertium fuisse poculum *eucharisticum,* quod dicebatur poculum *benedictionis;* alii fuisse poculum *quartum,* quod ultimum erat ex praescriptis; alii — minus recte — idem de *quinto* affirmant. Antequam ergo, in celebranda Coena Paschali, inciperet *Coena Paschalis stricte talis,* lavit Christus pedes Apostolorum (Klofutar. l. c.). »

Secunda die Paschatis offerebatur primus hordei manipulus cum altero agno anniculo in holocaustum; singulis autem diebus holocausta et victimae pro peccato immolabantur.

Qui, die praescripto, legitime impeditus, non posset Pascha immolare, altero mense, eodemque ritu, id agere debebat, ut patet ex Num. 9. 10 et seqq.

d) Pentecostes.

Pentecostes festum (πεντηκοστὴ ἡμέρα), quod, tum in grati animi significationem ob Legem latam in Sinai die quinquagesima ab egressu ex Aegypto, tum in gratiarum actionem pro messe, institutum fuit — unde *solemnitas messis primitivorum*, seu *dies primitivorum* appellabatur — expletis a Paschate septem hebdomadis celebrabatur (חג השבועות = *festum hebdomadarum*). Igitur duo panes farinae novae triticeae et plura alia sacrificia offerebantur, et ab opere servili cessandum erat. Ad hoc festum recolendum permulti Iudaeorum exterorum Hierosolymam conveniebant; cuius rei, praeter auctorem *Act. Apost.*, Iosephus Flavius testis est (*De bello Iud.* II, 3, 1).

e) Festum Tabernaculorum.

Festum *Tabernaculorum* (חג הסכות, ἑορτὴ σκηνῶν, σκηνοπηγία), quod institutum fuit, tum in gratiarum actionem pro omnibus fructibus collectis, tum in memoriam commorationis Israëlitarum sub tentoriis in deserto, celebrabatur per octo integros dies, a die XV ad diem XXII mensis *Thishrì* sive Octobris. Die prima et octava ab operibus abstinendum erat. Hoc festo durante, Hebraei habitabant in tentoriis, ramis arborum erectis in tectis aedium, Templi et in platea, ramum manu tenentes toto die primo et ceteris diebus solummodo, cum ad Templum se conferebant (Ps. 117, 27). Singulis diebus plurima sacrificia offerebantur, clangentibus Sacerdotum buccinis omnibusque *hosanna* concinentibus.

f) **Festa minora.**

α) Novus annus civilis.

Festum erat minus solemne, quod appellabatur *Neomenia Thishrì*, seu primus dies *anni civilis.* Abstinendum erat ea die ab operibus ac peculiare holocaustum offerendum. Cum festum tubarum clangore nunciaretur, ideo *dies clangoris* (יום תרועה) dictum est. Doctores censent hoc festum institutum fuisse in memoriam liberationis Isaac per arietem subrogati, et ut Deus benediceret Hebraeis anni primordia ipsi offerentibus.

β) *Festum Expiationis.*

Expiationis festum (יום הכפורים), quod institutum fuit occasione nullius reverentiae filiorum Aaron ignem offerentium alienum (Lev. 16. 1), die decima mensis *Thishrì* celebrabatur, pro peccatis universi populi; quam veterem peccatorum expiationem figuram fuisse Christi, per proprium sanguinem omnium peccata redimentis, docet S. Paulus ad Hebr. c. 9 et 10. Huius festi ritus hic erat.

Summus Sacerdos, loto corpore, lineis femoralibus ac tunica vestitus, zona linea cinctus, cidarim lineam capite gerens, assumebat duos hircos *pro peccato*, et, missa sorte, alterum Domino, alterum in *caprum emissarium* destinabat. Deinde offerebat vitulum pro peccatis suis et hircum pro peccatis populi, sumptoque thuribulo cum incenso, in *Sanctum Sanctorum* intrabat, et coram Arca incensum adolebat, ita ut fumus quasi nubes *Propitiatorium* operiret. Statim, intincto digito in sanguine vituli, septies Oraculum et Sanctissimi

pavimentum aspergebat, idemque, sanguine hirci, peragebat. Post haec sequebatur caerimonia *capri emissarii,* in cuius capite totius populi *peccata imponebantur,* quemque, per hominem ad hoc paratum, Pontifex in desertum immittebat. Vitulus et hircus, a Pontifice pro peccatis mactati, ducebantur extra castra et comburebantur.

Hoc *Expiationis* die Hebraei ieiunabant et ab operibus cessabant.

γ) *Purim.*

Celebrabatur die XIV et XV *Adàr* in memoriam liberationis Iudaeorum, per Esther, ab excidio, quod Assuerus rex, Haman impulsu, illis paraverat. Hoc festum, quod Mardochaeus instituit (ἡ Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα), dicebatur *festum sortium* (פורים), quia *sortibus,* per Haman, Hebraeorum excidio dies destinatus fuerat.

δ) *Iudith.*

Hoc festum, postremis temporibus a Iudaeis intermissum, celebrabatur in memoriam victoriae Iudith, etc. de qua vide eius lib. c. 16.

ε) *Encaenia.*

Festum *Encaeniorum* (ἐγκαινίων) in memoriam purificationis et dedicationis Templi, quod Antiochus Epiphanes profanaverat, anno 167 a. Ch. n. a Machabaeis institutum, die XV mensis *Casleu* celebrabatur. Cum, eo tempore, multae accenderentur lampades, ideo *festum luminum* dictum est.

ζ) *Xylophoria.*

Xylophoria (Ξυλοφορία) erat oblatio lignorum, ad usum altaris, a quibusdam familiis per vices facienda. V. Esdr. II, 10. 34.

η) *Recepti ignis sacri.*

Institutum fuit hoc festum post babylonicam captivitatem, ex reperta *aqua crassa* prout narratur Mach. II, 1. 18.

θ) *Ob caesum Nicanorem.*

De hoc festo, quod celebrabatur die XIII *Adàr*, vide Mach. II, 15, 36.

ι) *Annus Sabbaticus et Iubilaris.*

Primus erat hebdomada annorum, i. e. circulus annorum septem, quorum postremus *annus Sabbaticus* dicebatur; alter (יובל) erat circulus annorum quadraginta novem, seu hebdomada hebdomadarum annorum, quorum sequenti *Iubilaris* nomen fuit.

Communia tam anno *Sabbatico* quam *Iubilari*:

1.° quies terrae; quaeque sponte nascebantur, omnibus erant communia;

2.° remissio debitorum et libertas pro servis originis hebraicae;

3.° Lex Moysi universo populo legebatur.

Anni Iubilaris id peculiare fuit, ut omnia bona hereditaria et praedia vendita aut pignorata — exceptis domibus urbanis — ad pristinos dominos redirent sine ullo pretio aut compensatione.

3. DE PERSONIS SACRIS.

a) Summus Pontifex.

Cultus divini cura peculiari modo tribui Levi commissa fuit. Qua in tribu tres personarum classes sunt distinguendae: *Summus Pontifex, Sacerdotes, Levitae.* Quoniam vero de sacerdotum ministerio et de sacris indumentis aliquid superius attigimus, haec tantum de Summo Pontifice hic meminisse sufficiat:

α) cunctis Sacerdotibus inferioribus praeerat Summus Pontifex, qui erat primogenitus, linea recta, in Aaronis familia; quod si idem minime ad sacerdotium aptus erat, alter per Synedrium eligebatur;

β) munere suo ad vitam fungebatur; cui legi, faventibus Romanis, Herodes derogavit;

γ) Summus Pontificatus in familia Eleazari, filii Aaronis natu maioris permansit, quoad translatus est ad familiam Ithamar, ex qua, per Sadoc, rediit ad familiam Eleazari, quam penes usque ad captivitatem babylonicam stetit. Inde Summi Pontifices electi fuerunt a populo vel a regibus; quod tamen munus, Christi temporibus, venale factum est.

δ) Summi Sacerdotis consecratio in eo differebat, a simplicium Sacerdotum consecratione, quod non solum eius manus, sed et caput oleo ungeretur (Exod. 29; Lev. 8. 9).

b) Sacerdotes.

Sacerdotes, ex familia Aaronis, Davidis temporibus, cum numero aucti essent, in 24 classes divisi sunt, quae, alternis vicibus, per hebdomadam, in

Templo sacro munere fungerentur. Diebus autem solemnioribus nulla classis aberat. Eorum consecratio fere similis fuit atque consecratio *Levitarum*. A sacro ministerio arcebantur, qui aliquo corporis vitio laborarent, vel nondum vicesimum, et, antiquiore aevo, tricesimum aetatis annum attigissent. Sacra munera in eadem classe sorte designabantur. Ad *Sacerdotes* spectabat: ignem altaris holocausti nutrire, vasa sacra custodire, thus adolere, sacrificia offerre, panes *propositionis* mutare; plebem docere; iudicia exercere; sanguinem victimarum excipere, quo altare aspergerent.

Ministeria sacra obeuntes debebant ab omni potu, qui temulentum facit, et a matrimonio abstinere; item qui aliqua labe erat infectus, abstinebat a sacris et lignis pro altaris igne parandis inserviebat.

c) Levitae.

Levitae Pontificis et Sacerdotum adiutores erant. Horum erat: vigilias in Tabernaculo et in Templo obire, diversas Tabernaculi partes eiusque supellectilem gestare, sacrificiis inservire, cantare et instrumenta musica pulsare. David plura *Levitarum* millia elegit (38,000), quos in quatuor classes distribuit: *ministros Sacerdotum, ianitores et excubitores, iudices et genealogiarum descriptores, musicos;* quos rursus in 24 classes divisit, quae vicissim, per integram hebdomadam, Templo inservirent.

Levitae suo munere fungebantur ab anno vicesimo quinto ad tricesimum.

d) De reliquis personis sacris.

De Synagogae ministris, quoniam supra diximus, hic sermo erit tantummodo de *Nazaraeis, Rechabitis, Assidaeis, Essenis* et *Therapeutis,* et *Prophetis.*

α) *Nazaraei.*

Nazaraei (נזירים = *separati*) homines erant, suo aut parentum voto, Deo consecrati, vel ad vitam, uti Samson et S. Ioannes Baptista, vel ad certum tempus, uti Paulus (Act. Ap. 18. 18). *Nazaraei* austeriore vitae disciplina Deum colebant, ab omni potu, qui temulentum facit, abstinebant, neque capillos tondebant, neque funeribus aderant.

β) *Rechabitae.*

Rechabitae (רכבים) ita dicti a Rechab patre Ionadab viri pii, qui cum Iehu rege idola evertit, habitabant extra urbes, in tabernaculis, vitam austeram agentes, fere ut nostri monachi (Ierem. 35. 5 etc.).

γ) *Assidaei.*

Assidaei (חסדים) quemdam ordinem militarem constituisse videntur (Mach. I, 2. 42).

δ) *Esseni et Therapeutae.*

Esseni iidem fere fuerunt atque Rechabitae. Inter *Essenos* et *Therapeutas* hoc discrimen fuit; *Esseni* erant *Iudaei Hebraei; Therapeutae* erant *Iudaei Graeci.*

« Nonnulli inter philologos, animadvertit Mellini (Op. cit. II, pag. 47), Essenos, vel Hessaeos hebr. חשׁי *(chashè)* a radice חשׁה *(chashàh) siluit, mutus fuit* derivari concedunt, quia longe stabant ab hominum strepitu, tristissimis Machabaeorum temporibus, Monachorum instar in montibus antrisque latitantes. Hinc de illis apud Evangelistas mentio non occurrit; eo quod longe a civium dissidiis vitam agebant, et cum essent pauci, vix noti erant. Cf. Calmet *Dissert. in Ev. Marci.* »

ε) *Prophetae.*

Prophetae (נביאים) homines erant, qui, divino afflati instinctu, Dei voluntatem tum praesentem, tum futuram nunciabant. *Prophetarum* praeterea erat populum docere et Legem interpretari; quare *Propheta* sonat et *interpres* vel *doctor*. Cf. *Revue bibl.*, 1892, p. 610, ss.

ANNOTATIO DE SECTIS ET DE PROSELYTIS.

1. *Sectae.* α) *Pharisaei* (פרושׁים), summam ostentantes religionem, ad scrupulum Legem interpretabantur, superstitiosi de Sabbato observando, de manuum lotionibus deque aliis his similibus. Eleemosynas faciebant precesque fundebant ut « viderentur ab hominibus », maximaque ex parte ad ordinem sacerdotalem pertinebant. Notat Iosephus Flavius (*Antiq.* XIII. c. 17. « Hierosolymis populares frequentes se adiunxisse Pharisaeis, optimates vero Sadducaeis. » β) *Sadducaei* (צדוקים), in primis, mortuorum resurrectionem et vitam futuram negabant. « Sadducaei — ita Ios. Fl. *Antiqq.* lib. XIII, c. V, 9 — fatum omnino tollunt, Deumque negant auctorem

esse, ut quis vel male agat vel a malo abstineat, et in electione hominis positum aiunt tum bonum, tum etiam malum, et unumquemque pro arbitrio suo ad utrumlibet accedere. Quin et animas persuo manere, suppliciaque et praemia apud inferos negant. Et Pharisaei quidem sui amantes sunt, et in communem utilitatem concordiam colunt: Sadducaeorum vero mores et erga se mutuo magis feri et cum sui similibus versantur quemadmodum cum alienis. »

2. *Proselyti.* Hi erant Gentiles ad Iudaismum conversi: alii *proselyti iustitiae* vel circumcisi, alii *proselyti portae* vel incircumcisi dicebantur. Postremi praecepta tantummodo *noachica* observabant, id est: abstinebant ab idololatria et unum Deum verum colebant; non committebant furtum, neque homicidium, et homicidam morte puniebant; non utebantur sanguine et suffocato. *Proselyti iustitiae,* circumcisione, adscribebantur Iudaicae genti et Legem universam servare tenebantur.

4. DE REBUS SACRIS.

a) Sacrificia.

Sacrificia plura praecepit Moyses filiis Israël (Lev. 1. 6), quibus iram Dei placarent, vel Deo, pro acceptis donis, gratias agerent. Horum sacrificiorum alia fuere *cruenta,* alia *incruenta,* id est ex rebus *inanimatis; cruentorum* autem alia *expiatoria,* alia *eucharistica.* Rursum, alia ex *parte* tantum comburebantur, et alia ex *toto,* quae *holocausta* appellabantur.

α) Sacrificia *cruenta* seu *expiatoria pro peccato*.

Huiusmodi sacrificia erant pro personis diversa: aliud sacrificium summi Sacerdotis, aliud populi, aliud magistratus, aliud hominum privatorum: Summus Pontifex et populus immolabant iuvencum (Lev. 4. 3 et seqq.); magistratus hircum (ib. 4. 23); privati arietem vel ovem (ib. 27 et seqq.).

β) sacrificia *eucharistica* seu *pacifica*.

Haec sacrificia, quae in gratiarum actionem vel ad nova beneficia impetranda, sive publica, sive privata, offerebantur, erant ex iuvencis, vaccis, agnis, hircis; quorum una pars comburebatur in altari, ceterae ab offerentibus et sacerdotibus comedebantur (Lev. 3.).

γ) *holocausta*.

In *holocausto*, quod erat sacrificiorum maximum, tota victima comburebatur. *Holocaustorum* alia erant *quotidiana*, alia *statis temporibus* offerenda; alia pro *universo populo*, alia pro *privatis* (Lev. 1. 7).

δ) sacrificia *incruenta*.

Sacrificia *incruenta* fiebant ex simila seu farina, cocta in clibano, sartagine aut craticula. Huc spectabant: duodecim panes propositionis (Lev. 24. 5-9); manipulus hordei, qui secundo Paschatis die offerebatur (Lev. 23. 70); primitiae panum in die Pentecostes (Lev. ib. 17-20); farina a pauperibus in sacrificio pro delicto offerenda (Lev. 5. 11-13): libamen seu oblatio et effusio vini circa basim altaris (Num. 15. 10).

APPENDIX

de *Primogenitis, Primitiis, Decimis, Votis* et *Precibus*.

α) Primogenita.

Primogenita (בכרים) *hominum* et animalium Deo sacra erant (Num. 18. 15-18; Ex. 13. 12-15; Lev. 27. 26-29). « Filii primogeniti — ita Ackermann, Op. cit., 6. 375 — non filiae, Deo sistendi et ex aestimatione sacerdotis, attamen non ultra quinque siclos, et non ante primum aetatis mensem, redimendi erant; plerumque autem redimebantur in purificatione puerperae. Primogenita boum, caprarum et ovium ab octavo die usque ad unum annum aetatis, in sacrificium offerenda erant, et concrematis partibus praefinitis, sacerdotibus relinquebantur. Quod si essent vitiosa, nihilominus sacerdotibus cedebant. Primogenita aliorum animalium vel occidenda vel agno permutanda, vel ex aestimatione sacerdotis, addita quinta pretii parte, redimenda erant; quod si redempta non essent, vendebantur, et pretium erat sacerdotum. Hoc modo Hebraei testabantur gratum erga Deum animum, qui primogenita ipsorum illaesa in Aegypto servavit. »

β) Primitiae.

Praeter hordei manipulum, qui secundo die Paschatis, et primos panes, qui Pentecostes festo offerebantur, primitiae uvae fructuum arborum,

cerealium, mellis et lanae solvendae erant ab Hebraeis in Templo, vel ubique locorum, ut aliis lubet, sacerdotibus. Vox *primitiae,* in Vulgata, interdum, lata significatione, de quacumque oblatione accipitur.

γ) Decimae.

Pro hereditaria sorte Deus *sacerdotibus* primitias, oblationes et sacrificia dedit; *levitis* autem *decimas*. Qui *decimarum* usus antiquissimus est et omnibus gentibus haud ignotus. Ab Hebraeis itaque, ad sacros ministros sustentandos et ad divinum cultum servandum, *levitis,* quotannis, decima pars omnium fructum, sive frugum, sive animalium, erat solvenda. De legibus, quibus haec oblatio fiebat, cfr. Lev. 27. 30...; Deut. 12. 17; 14. 22, 28; 16. 25; Num. 18, 26.

Levitae, ex decimis acceptis, decimam partem sacerdotibus tradere debebant. De *decimis secundis* cfr. Deut. 12. 17, 18; 14. 22-29.

δ) Vota.

Vota et iuramenta *promissoria,* ex Lege mosaica, erant adimplenda. Res tamen Deo consecratae (excepto voto חרם = *anathema*) pretio redimi poterant, dummodo Levitis et Sacerdotibus, pecunia aliave ratione, secundum regulas, quae habentur in Lev. 26., compensatio fieret. Harum regularum summam in epitomen coëgit Cornelius A Lapide in eiusdem capitis synopsi.

ε) Preces.

Praeter verba benedictionis a sacerdotibus populo impertiendae et ea quibus Israëlitae Deo gratias agerent, primitias offerentes (Num. 6. 24-25; Deut. 26. 3-10, 13-15) nullae habentur preces publicae definitae. Hebraei orabant stantes vel genuflexi, manibus in caelum expansis, facie ad Sanctuarium conversa, et, interdum, toto corpore prostrati.



INDEX



I.

ANTIQUITATES DOMESTICAE.

II.

ANTIQUITATES POLITICAE.

III.

ANTIQUITATES SACRAE.



Utini, die 13 Iulii 1906.

Nihil obstat quominus imprimatur.

Can.cus IACOBUS MARCUZZI, *Censor. Eccl.*

Imprimatur.

Utini, die 14 Iulii 1906.

Can.cus AEGYPTIANUS PUGNETTI, *Provicarius Gen.lis*